

que morbis oculorum ventrisque medetur, quos recenset Dioscorides, lib. IV, cap. LXXI, cum anima per penitentiam, prudentiam et lætitiā omnes mentis ægitudines et perturbationes sanat: ita Theodoretus. Hinc Cassiodorus, Justus et Sada, per *nova et vetera* accipiunt sanctos Novi et Veteris Testamenti: hos enim servari ajuunt Christo, tum quia Christum prophetarunt, prædicarunt et prædicant; tum quia non nisi per Christum eis ad salutem et ad cælum aditus patet. Audi S. Gregorium: « Quid per *mandragoram*, herbam scilicet medicinalem et odoriferam, nisi virtus perfectorum intelligitur? per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus incedunt, in fide, quam prædicant, id est in portis Ecclesiæ, veri medici esse comprobantur; qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuunt, quasi odorem, quo ægroti sanentur, aspergunt. » Audi S. Honorium: « Tunc *dabant odorem mandragora in portis*, quia seculares jam conversi, qui sine capite fuerant, dum nullum prelatum habere voluerunt, famam bonæ operationis in virtutibus, que sunt *portis vite*, spargunt. *Omnia poma nova et vetera servant*, dum conversi omnia opera antiquorum et modernorum Patrum ad imitandum sibi congregant. »

Rursum per *poma nova et vetera* notatur donum perseverantiam, quo omnes actus usque ad finem vite sanctos efficimus, Christoque dedicamus: hoc enim ingens, imo summum est Christi donum: insuper B. Laurentius Justinianus, lib. II de *Spiritu*, animæ interitum, ante finem: « *Poma vetera*, inquit, habitus, *nova* vero actus dicunt esse virtutum, per quos ad perfectionem ascenditur. Hæc proculdubio per illam scalam, quam in somnis contemplatus est S. Jacob, figurata fuit. »

Denique Philo Carpathius per *mandragoras* accipit doctores, « quia dum, inquit, bene scrutantur sacras Scripturas, et ex his bonam et suaviter olentem frugem Ecclesiæ filiis parant ac mandant, vere fidei suavissimum odorem fructumque diffundunt. Per *portas* autem vires animæ ac humani corporis partes ac membra significari, ut aures, os et oculos, per quorum aditus omnia vitæ et mortis merita ingrediuntur, secundum illius prepositum et voluntatem, qui corporis servitio et animi imperio utitur: Per *oculos* pudicitie castitatisque indicia; per *aures*, honestatis atque modestiæ; per *os*, gravitatis et temperantiæ ad mandatorum observantiam, facile dignoscuntur. Quare si Deum vere timemus atque amamus, pudica et honesta oculis spectamus; auribus salutaria et optima quæque percipimus. Ore sancta atque necessaria loquimur, turpibus clauduntur oculi, obsecris aures occcludimus, vana et nociva silemus. »

Anagoge Honorius: « In extremi, ait, judis

die *mandragora in portis dabant odorem*, quia in morte, que est porta vitæ, dabunt viventibus suam opinionem, dum miraculis coruscant in terris, quorum animæ vivunt in cælis; qui *mandragora* olim fuerunt, dum diabolum caput omnium malorum amiserunt, et Christum caput omnium bonorum vel justorum induerunt, et nunc ut *mandragora* multis morbis sunt medicina. Ibi *omnia poma, nova et vetera* sponso dilecto servavit, quia omnia opera sanctorum veteris legis et omnia opera justorum novæ legis, Ecclesiæ celestis Christo recompensanda representabit. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Mandragoræ soporiferæ symbolum sunt contemplationis, que mentem a terrenis curis rebusque sopit, ut tota Deo fruatur; ideoque a mysticis vocatur *quies*, sive *somnus*, de qua dixi cap. II, vers. 5 et seq. Hac excellit B. Virgo, ac in ea *omnia poma nova et vetera*, id est omnes actus præteritis et presentibus Christo dilecto suo oblit. Item « *nova et vetera*, » id est omnes actus factos ex præcepto legis novæ et veteris (utriusque enim præcepta exacte servavit B. Virgo) Christo dicavit. Rursum ipsa Deo offert omnes sanctos tam Novi quam Veteris Testamenti, ac in fine mundi offeret Judæos et gentes per Eliam et Enoch, convertendos, omniaque eorum dona, gratias et virtutes.

Addit Guilielmus *mandragoras* Christi et Virginis dedisse odorem suum, cum Christi divinitas per apostolorum prædicationem et miracula mundo innotuit: tunc enim pariter ex ea eidem innotuit matris Dei virginitas, dignitas et maiestas. Ad hæc, illam *omnia poma nova et vetera servasse* Christo, cum mysteria divinitatis et humanitatis Christi, que ipsa viderat, in corde servavit, ac suo tempore christianis ad eorum salutem et Christi gloriam patefecit: « Nam quod sine corruptione, inquit, es conceptus et editus, quod ab angelis prædicatus, quod per stellam designatus, quod a Magis mystica dona es oblatas, et hujusmodi et *nova* plane erant, et divinitatem tuam declarabant. Porro quod *PARVULUS NATUS* es, quod pannis involutus, quod lacte nutritus, et hujusmodi, *vetera* erant, quia de veritate carnis erant, et hæc humane in te veritatem substantiæ comprobant. Ego autem conservabam omnia hæc, conferens ea in corde meo, conferens utique nova cum veteribus, et vetera cum nova, et utrisque pariter collatis, te Deum simul et hominem comprobans, conservabam omnia verba hæc, et sic *omnia poma nova et vetera, dilecte mi, conservabam* tibi suo tempore *promenda, et exseruenda* in tuos. »

## CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Veritas est et conclusio dramatis Cantici, qua sponsa cumnunc erga sponsum amorem demonstrat, spiritusque ei intus jungi, eoque frui in cælis, ex quo in deliquam et ecstasi incidit; a qua eam cælesti volat sponso, vers. 4. Moa vers. 5, populus occurrens, cernens sponsum de deserto ascendente, deliciis affluentem et dilecto inamicam, admiratur. Subjicit sponso se in malo, id est ligno crucis eam suscitasse, et tantis deliciis domisque adornasse: quare petit ut ipsa tanto amore sponsi eor obsequat. Inde vers. 8, Ecclesia queritur sororem suam Synagogam esse parvulam, nec ubera habere cui respondent sodales sponsi: Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Respondet deinde ipsa Synagoga vers. 10, se murum esse, et ubera habere, insuper et vineam. Denique vers. 13, sponso ultimam sponsæ vocem cantuque epithalamicum poscit. Unde canit illa: Fuge, dilecte mi, et assimilare capræ, hinnuloque cervorum super montes aromatum, quo velut cygno cantu possit sponsa cum sponso ex hac vita rari in cælos. Igitur sicut S. Joannes in Apocal. cap. XXI et XXII, desinit in gloria Ecclesiæ triumphantis, sic et Salomon Canticum claudit in gloria celestis Jerusalem: in ea enim proficietur et beabitur Ecclesiæ, et laboris militiæque sue recipiet præmia et coronas æternas.*

1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? 2. Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum gratatorum meorum. 4. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. 4. Adjuro vos, filia Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, inmixta super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, quia sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammæ. 7. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. 8. Soror nostra parva, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? 9. Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. 10. Ego murus: et ubera mea sicut vitæ, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. 11. Vineam fuit pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. 12. Vineam meam coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. 13. Quæ habitas in hortis, amici ascultant: fac me audire vocem tuam. 14. Fuge, dilecte mi, et assimilare capræ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

## VOX SPONSÆ,

*Id est Ecclesiæ universalis collectæ ex Judæis et gentibus, quæ in fine mundi, completo jam electorum numero, aspirabit ad cælum.*

VERS. 1. QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, UT INVENIAM TE FORIS, ET DEOSCULER TE, ET JAM ME NEMO DESPICIAT?

QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, UT INVENIAM TE FORIS (Scholiastes,

in ἀγρῶ, id est in agro; alii, in ἀγρῶ, id est in foro); ET DEOSCULER TE, ET JAM ME NEMO DESPICIAT? — Hæc brevia, quis tibi dabit tibi, fili fratris mei, ut sugam ubera matris meæ? cum invenero te extra, osculabor te; Syrus, quis tibi dabit me, ut fratri? succursum ubera agni mei: laudabo te.

Pendent hæc a proxime præcedentibus, pergit enim loqui sponsa, suamque amorem ardentem in sponsum pandere: sicut enim paulo ante optavit cum sponso ire in agros et villas, ut ibi da-

ref et ubera sua, pomaque nova et vetera, idque ita factum esse, licet discrete non exprimat Salomoa, tamen id tacite innuit, scilicet sponsum annuentem votis sponsae cum ea concessisse in agros, ibique ejus mandragoras et pomis fructum fuisse: sic eo facto sponsa non contenta, hic ulterius amore sponsi exestans, plenum ejus publicumque pescit complexum, ut omnibus muros suos et sponsi amores palam pandat et patefaciat. Quare, ex summo castoque et spirituali amore optat sponsi osculum sanctumque complexum; sed quia honeste in publico id fieri cum grandaero non poterat, optat dilectum suum similem fieri infantulo, sive fraterculo sugenti ubera matris, ut eum sic osculari publice liceat, sicut sorores fraterculos suos pusiones sine vereduntia osculari solent. Sponsum vocat *fratrem*, tum quia summe dilectum, sic enim superius dixit, *soror* (id est dilecta) *mea sponsa*; tum quia conjugem: conjugem enim per conjugium in conjugis suae transit domum et familiam, ut eosdem, quos conjug habebat parentes, sive patrem et matrem; unde S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXI: « Si vir, inquit, et uxor est una caro, non aliter est nurus deputanda, quam filia; » tum denique, ut significet conjugium non esse carnis, sed spiritus, ubi conjuges manent casti inlar fratrum et sororum.

PRIMUS SENSUS  
ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Est vox Ecclesiam sponsa universalis, id est collecta ex gentibus et Judaeis, cujus vocem, cap. VII, versu penultimo et ultimo audivimus, haec enim in fine mundi videns complet electorum numerum, ex vehementia amoris optabit nuptiarum cum sposo consummationem in coelis: Ecclesia enim in terris, cum sponsa, tantum celebrat sponsalia cum Christo sposo per fidem et gratiam; in coelis vero nuptias celebrabit et consummabit per gloriam, summamque visionis et amoris beatitudinem cum sposo unionem. Sensus ergo est, *q. d.* Utinam adsit felix illa hora, quae jam appetit, ut conjugii iure te, o dilecte mi, possim appellare *fratrem meum*; sicut olim in primo tuo adventu in terra pascens, factusque homo mihi frater fieri dignatus es, ac ejusdem matris Synagoga velut *fratrem meum* fac sustulisti. « Quis mihi det, ut inveniam te foris, » id est extra terram, supra saendum in caelo empyreo, ibique publice coram omnibus angelis et sanctis sine pudore, mo cum honore et júbilo perpetuum sugam tecum ubera matris, per te celestis Jerusalem, quae lae, mo nectar divinae omnis felicitatis effundit, ibique pariter sine intermissione brachii intellectus et voluntatis per visionem et amorem beatificum, quasi per bina labia te osculer, ut in fine te complectar, tibi jugiter inhaeream, nec

vel ad momentum a te separer, sed per omnem aeternitatem te felicissime fruatur; ubi nemo judaeus, paganus, vel impius me amplius despiciere, exprobrare vel vexare poterit. Utinam ex agris et villis hisce terrestribus ad caelestes atque ad supernos aromatum, divinarum montes conscendere liceat! Et brevi id dabitur, sed hoc momento, hoc ipso temporis instanti id fieri optarem: amanti enim et amore aestuanti omnis mora amara, prolixa et molesta est. Ita tres Anonymi apud Theodoretum haec tribunt Ecclesiae et animae sanctae optanti secundum Christi adventum, eumque sic affanti: « Quoniam prior adventus tuus me ad te perfruemum preparavit, equis tribuat mihi secundo adventu tuo nobiscum in caelesti Jerusalem, quae mater nostra est, novum bibentem poculum, quod ex ipsa in nos per gratiam sine medio, quasi lae ex matris uberibus, in ejus filios fluat? sic enim inveniens te foris deosculabor; cognoscens namque te, non ut nunc per fidem, sed per aspectum foris in nostra substantia incorruptionem nobis, et immutabilitatem in communi largientem resurrectione, perfruemur te; et nemo quidem despiciet me, licet nunc a mundi sapientibus spernam, quod propter tui amorem educea omnia contemnam. » Sic et Delrio et alii. Haec perinet expositio S. Ambrosii, Aponii, Honorii, Ruperti, Anselmi, Hortolani, qui haec intelligunt de conversione Judaeorum in fine mundi: post hanc enim mox sequetur dies iudicii et gloria sanctorum. Verba S. Anselmi mox recitabo. Quin et prisci rabbini, teste Galatino, lib. III, cap. xxvii, censent hic significari desiderium adventus Messiae, adventus non primi (hic enim jam factus est per incarnationem, ut dictum est cap. I et seq.), sed secundi ad iudicium et glorificationem sanctorum.

Symbolice, primo, S. Gregorius, Cassiodorus, Theodoretus, Beda, Philo, S. Athanasius in *Synopsi*, et alii haec tribunt Synagoga, id est patriarchis desiderantibus Christi incarnationem: per haec enim Christus e sine Patris foras in carnem prodit, nobisque frater effectus est, ut eum osculari liceat, per quem Ecclesia jam non despicietur, sed ab ipsis etiam angelis honoratur. « Quis enim, ait Guillelmus, poterit despiciere hominem in Deo homine facto? quis vitem iudicabit hominem pretio sanguinis tui pro homine dato? » Unde S. Ambrosius, *De Institut.* Virg. cap. I: « Foris, inquit, factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis, quod in sinu est Patris; cognoscere illum foris, quando nos quaerit ut redimat. Foris tibi factus est, ut mihi intus esset, et fieret medicus noster. Ibi ergo simus, ubi Christus medicus est radicatus et fixus in cordibus nostris. » S. Chrysostomus vero, *hom. 12* in varios S. Matthei locos, haec refert ad Herodem, qui Christum infantem persecutus est: sic enim legit, *quis dabit tibi fratrem meum sugentem ubera mea*

*tris mea? q. d.* Nemo tibi dabit Christum infantem ut eum occidas, nec enim ullam habebis potestatem adversus eum qui est princeps omnium potestatum: quae nova est expositio, nec satis consona sensui litterali. Secundo, Philo haec refert ad passionem Christi: « Tunc enim, inquit, foris inventus est sponsus et osculatus a sponsa, cum humanitate vestitus, et extra Hierosolimam crucifixus, eam ipsam a sempiterna morte redemit per ineffabilem charitatem soluto omni debito, sibimet amatissime reconciliavit et Patri. » Porro Philo per matrem accipit aeternam sapientiam; Theodoretus vero Spiritum Sanctum, cujus ubera Christus suscite dicitur, cum fidelibus ea per studium et orationem sugenda esse, ut lae doctrinae omnisque gratiae ex his hauriant, in evangelio docuit et monstravit: sic et Rupertus. Auctores alii hos sensus afferunt: quasi litterales; sed revera symbolici videntur: ad litteram enim de incarnatione et passione Christi egit Salomon, *Cantic.* cap. I; indeque progressus est ad Ecclesiae exordia, profectus et perfectionem, quam hic gloria caelesti concludit: Ibi enim erit finis, consummatio et coronatio Ecclesiae triumphantis, quae hic sub cruce Christi militat: hoc enim acoluthia, ordoque dramatis arguit.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo, anima pia optat Christum suscipere in venerabili sacramento, in quo Christus quasi fit frater noster, nos suo corpore pascons, ibique eum osculamur, dum cre corpore, et multo magis mentis eum suscipimus: Ita Aponius et Gislebertus fose. Eucharistia enim est pignus futurae gloriae, per illam enim resurgemus in vitam aeternam, ut docet Christus, *Joan.* vi, 55. Haec de causa Christus, specie parvuli apparens S. Francisco, S. Antonio de Padua, S. Edmundo Cantuariensi episcopo, similibusque sanctis, se illis osculandum dissuavianumque praebuit. Hoc reipsa se in seipso expertum asserit Rupertus abbas Tulliensis, scribens in cap. xxvi *Math.* lib. III, pag. 362: narrat enim se, cum juberetur capessere sacerdotum, seque tanto gradu indignum iudicaret, vidisse Christum crucifixum in altari se intuentem et invitantem ad amplexum. Quare « Altare, inquit, per medium sese aperuit, neque inforsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea, tunc illum, amplexatus sum eum, dulcius osculatus sum eum. Senti quam graviter hunc gestum dilectionis admitteret, cum inter osculandum sum ipse os aperiret, ut profundius oscularer. Plane hoc agebatur, hoc illa significatione parabatur, ut fieret illud, quod in Canticis dilecta et optata dicit, cap. VIII, vers. I: *Quis mihi det te*

*fratrem meum sugentem ubera matris mea, ut inveniam te foris, et deosculer, et jam meo despiciet. »* Ex hac visione sensit Rupertus sibi desiderium sacerdotii immitti, ut quotlibet sacrificans cum Christo in Eucharistia disjunctaretur, eumque manducando amplecteretur et oscularetur.

Secundo, optat anima Christum sibi fratrem fieri, forisque osculari eundem, cum ipsa optat exui carnis mundique affectibus, ut extra se quasi exiens, spirituales mores et amores inducat, itaque osculum pacis a Christo accipere incipiat, quod perficiatur in caelo: haec ratione enim fit quasi soror fratris Christi: ita S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii: « Bona anima, quae foris est, inquit, ut Verbum intus sit, illa extra corpus, ut Verbum habet in nobis: » sic et Rupertus: « Porro invenire Christum foris, inquit, est exire ad illum extra castra, qui sicut extra portam passus est: ita extraneus factus est fratribus suis et filiis matris suae. Eundem vero deosculari est improprium ipsius venerari, et sacramenta pietatis ejus familiariter cognoscere: nam in quantum illa cognoscimus et diligimus, in tantum illum amabilem amantes deoscularum, » etc. Addit Honorius proprie *fratres Christi* dici apostolos et viros apostolicos, qui animabus incarnandis incumbunt: hi enim sunt similes Christo, ejusque quasi fratres: hoc enim officium fuit Christi; qui ergo alium ad statum religionis et perfectionis pellicere satagit, dicat: *Quis mihi det te fratrem meum*, ut mihi religione et charitatis conjunctissimus quasi frater, id est *vere alter*, sugentem ubera matris mea (disciplinam et instituta mea religionis), ut inveniam te foris (paratum a saeculo in claustro), et deosculer te, id est summe in omnibus religionis officiis et exercitiis tibi conjungar, et jam nemo me despiciat, qui tamen religioni fratrem, imo filium pepererim? Ita Honorius.

Denique S. Anselmus, S. Ambrosius, Rupertus, Aponius, Honorius et Hortolanus haec referunt ad Judaeorum conversionem: audi S. Anselmum: « Utinam quis mihi annuntiet Christum fratrem meum, de carne mea natum, eductum doctrina Synagoga; conversaque ad ipsummet addat: « Ut inveniam te foris, ut hominem te agnoscam, in quo turpiter erravi; et *deosculer te*, id est, et delecter in agnita tui humanitate; et jam nemo despiciet me censat. » Haec spectat versio Chaldaei: « Illo tempore, ait, apparebit rex Messias Synagoga Israel, et dicent ei filii Israel: Ades dum, esto nobiscum pro patre, et ascendenis Hierosolimam, et sugemus tecum sententias legis, quemadmodum sugi infans ubera matris suae. Quoniam etiam omni illo tempore, quo vagues eram, et extorris a mea patria, dum recordabar nominis Dei magni, et tradebam animam meam pro divinitate ipsius populi exteri, non me contemnebant. »

## TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus ait hanc esse vocem Ecclesie, que matri sue, id est B. Virgini hæc enim mater est Christi, et consequenter Ecclesie, id est omnium christianorum), ac sue per eam felicitati exultando et admirando applaudit, quod Christum pariendo, eum fratrem nostrum effecerit; atque hanc vocem esse similem illi S. Elisabethæ ad B. Virginem se visitantem, *Luc. 1, 43*: « Et unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me? »

Congruentius ad sensum litteralem hæc tribus B. Virgini in hæc vita, ad Filium in celis regnantem aspiranti, *q. d. Quis mihi det, o Fili, ut sicut olim ex me carnem assumens, frater meus omniumque hominum fieri dignatus es, ac sugere ubera mea tanquam matris tue, atque ubera mystica Synagoge, que est mater mea pariter et tua, ibique suavissime ego te deosculata sum: sic pariter nunc efficias ut te frater, imo filium meum in gloriosa humanitate, quam ex me suscipisti, in cælis triumphantem aspiciam, ibique te deosculer, ac tecum in summis æternisque gaudiis jager dissuaviar et deliciar.*

Addit Basilginus: « Invenire desiderat eum solum, in divina videlicet natura, in qua solus est, et humanum non habet consortium. Invenire desiderat eum, ut non solum cognoscat in carnis ergastulo, sed ut immensitatem deitatis inveniat; que nullo concluditur termino, et omnia continet et concludit, et ipsum sic invenire desiderat, ut deosculetur eum, ut videlicet eum videndo presentem tanquam facie ad faciem in ejus amore selectetur. »

VERS. 2. APPREHENDAM TE, ET DUCAM IN DOMUM MATRIS MEÆ: IBI ME DOCEBIS, ET DABO TIBI POCULUM EX VINO CONDITO, ET MUSTUM MALORUM GRANATORUM MEORUM.

APPREHENDAM (Septuaginta, *assumam*) TE, ET DUCAM TE IN DOMUM MATRIS MEÆ (Septuaginta, *ejus que me concepit*): IBI ME DOCEBIS, ET DABO TIBI POCULUM EX VINO CONDITO, ET MUSTUM (Syrtus, *dulcedinem*) MALORUM GRANATORUM MEORUM. — Pro condito Septuaginta vertunt *unguentario*; Hebræa, *potabo te vino aromatice*, quale scilicet solent in apothecis pharmacopœi componere et condire saccharo, melle, cinnamomo, aliisque aromatibus, que dulcem et gratum saponem afferunt etiam pueris, qualis hic optatur esse sponus; unde Archæus vertit, *potabo te vino suavi*; S. Hieronymus in cap. ix *Zachar.*, *potabis me de vino unguentarii, de rivis malorum granatorum tuorum*; sed in cap. xii legit, *potabis me de vino unguentarii (apothecarii), de vino malorum, censeturque esse verba Ecclesie ad Christum.*

†ingitur sponsa sponsum, quem parvulum op-

tabat, cupere osculari, et si assumere et asportare in domum matris sue, id est suam, ut ibi a sponso doceatur, eoque continue fruatur, itaque que deliciis suis eum pastura, puta vino aromatice, et musto malgranatorum. Licet enim infantibus et lactentibus non detur vinum, sed lac, tamen datur subinde vinum melle, vel saccharo conditum; hoc enim est instar lactis. Rursum, licet vers. 4 optarit sponsa sponsum esse infantulum, tamen sciebat revera ipsum non esse infantem, sed virum perfectum, ac ut tali hic vinum conditum et mustum malgranatorum propinare destinat.

Pendent hæc a versu præcedenti, est enim optatio, *q. d. Quis mihi det, id est utinam mihi liceret te apprehendere et ducere in domum matris mee, ut ibi me doceres, et ego vicissim tibi propinarem vinum et mustum, hoc est, utinam, o sponse, me sponsam apprehendas et ducas in domum tuam, ut ibi nuptiæ nostræ consummentur! ad hoc enim solebat sponsus sponsam in domum suam traducere. Est hypallage: simili arte atque phrasi utuntur mendici, ut stipem a divitibus extorquant; et puri ut a matre liba vel poma, que vident, impetrent. Dicut enim astuti: En, o mater, quam bella poma! utinam haberem pecuniam ut illa comerem, tibi que darent! quo significare volunt, *q. d. O mater, omne tam bella poma, eaque mihi dona, quia ea velle concupisco, sed id exprimere non audeo, ideoque concupiscentiam meam charitatis velo obtego; amo enim te, sicut tu amas me; ostende ergo mihi amorem maternum, ut ego ostendam tibi filialem**

## PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Sponsam audacem et animosam facit amor, quare id sibi tribuit, quod erat sponsi, scilicet in ducere sponsam in domum matris sue, id est suam; sed hæc sponsæ vota sunt amoris, non effectus potestatis. Pendent hæc a præcedentibus, *q. d. Utinam te, o sponse, possem ut infantulum et fratereculum meum osculari, apprehendere et inducere in domum matris mee! quo per metalepsin, vel potius hypallagen significat sponsa se optare a sponso duci in domum ejus, ut ibi nuptias perficiat et consummet, q. d. Utinam, o sponse, me jam laboriose et ærumnose hujus in villis et hortis terrenis vite perlassam apprehendas, et ducas in domum matris tue, id est tuam, puta in Jerusalem celestem, ut ibi me doceas, imo ostendas divinitatem tuam, illaque me bees, ut videam et gustem quod oculis non vidi, nec auribus audivi, nec in cor hominis ascendit, quod que Deus preparavit diligentibus se! Ibi ergo mutis certabimus officis, tu me hæc docebis, ego vicissim propinabo tibi vinum conditum laude, gratiarum actione, omni que genero*

rum; et succum malgranatorum meorum, puta sanguinem et doxologiam martyrum meorum. Ita Cassiodorus, Beda, Honorius, Alcuinus, Angelomus hic et S. Ambrosius, lib. V. epist. 39 ad *Irenæum*. Audi Cassiodorus: « Per fidem, inquit, et charitatem tibi adherens, prosequar te reverentem in celum post actum incarnationis tuæ et passionis mysterium. Ascendente namque in celos Domino, apostoli oculis illum deduxerunt, pioque prosecti sunt aspectu, quosque nubes suscepit eum; cum celo receptus fuisset, et me quoque in celum assumpseris, ibi me docebis et in omnem veritatem induces, et divinitatem tuam facie ad faciem ostendes, et ego ostendam quam ferventissima charitate te diligam, potans te charitatis vino condito bonis aliarum virtutum operibus; et dabo tibi mustum malorum granatorum meorum, ostendens in passionibus sanctorum martyrum quanta diligaris charitatis dilecto namque martyrum est mustum malorum granatorum. »

Huc facit expositio eorum qui hæc referunt ad conversionem Judæorum in fine mundi, quos mox citabo: post eam enim completo electorum numero mox sequetur dies judicii, et glorificatio sanctorum in celo.

Symbolice Theodoretus, Beda alique, qui versum præcedentem exposuerunt de incarnatione vel passione Christi, etiam hunc de eodem exponunt; Philo vero exponit de Christi morte, sepultura et descensu ad inferos: sic enim legit, *apprehendam te, et ducam te in domum matris mee, et in promptuarium ejus que me colligit*: domus enim nostra et promptuarium, quod patres olim colligebat æque ac Christum, est mors, sepulcrum et infernus, *q. d. Christus in mortem et infernum descendit, ut ex eo patres liberaret. Idem per vinum conditum accipit passionem et sanguinem Christi, quo se ablutum cum gratiarum actione præfatur Ecclesia.*

## SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta, primo, per orationem et meditationem Christum sponsum ducit in domum matris sue, id est in mentem suam, que est quasi mater omnium cogitationum et actionum; ibi docetur ab eo quomodo in charitate, religione omni que virtute se perficere possit et debeat; ibi vicissim offert ei vinum ac mustum malgranatorum acris compunctionis, mortificationis et martyrii: ita tres Anonymi apud Theodoretum. Secundo, Rupertus per *vinum conditum* accipit sacrificium calicis Eucharistici; per *mustum malgranatorum*, sacrificium S. martyrum. Sic et Philo, qui, tertio, per *domum matris* accipit SS. Scripturas, quarum mysteria et arcana quasi penus et promptuarium sunt, in quibus fidelis emina sapere

VIII.

cum cœlesti sponso secreta meditatur et loquitur, in hisque sanctissime reficitur vino aromatico divinæ doctrinæ. Idem, quarto: Potatur, ait, sponsus a sponsa, cum ab ejus filiis liquore sanctimonie atque virtutum laudatur in terris, cum timetur a bonis, colitur a justis, prædicatur a sanctis quasi auctor virtutis. Quinto, Honorius *domum matris* accipit religione vel monasterium: Ibi, inquit, Christum quasi per manum apprehendit, et in domum matris sue inducit, dum opera bona in claustro, domum congregationis quasi matris conversorum inducit, et intellectum regulæ claustralis sue nutritis, dum eam intelligere docet; ibi in claustro docetur quid conversis in celo promittatur; ibi dabitur ei poculum ex vino condito, id est doctrina ex scripturis sapientum composita, et *mustum malgranatorum*, id est exempla justorum. »

Porro S. Gregorius, Aponius, Anselmus, Hortolanus hæc referunt ad conversionem Synagoge, id est Judæorum in fine mundi. Audi S. Gregorium: « Apprehensum in domum matris sue ducit, quia Synagoge in fine mundi Christum, in quem credit, prædicabit; dumque per predicationem Ecclesie susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit: quia se doceri gaudebit, quando Synagoga jam idem corpus factam erudiri secum videbit. Poculum ex vino conditum Ecclesia dabit, quia ipsi Synagoge Novum Testamentum cum Veteri prædicabit, et quasi vinum poculum condiet, quia dulcedinem evangelii testimonio legis, que aspera est, ut robustius teneatur, cinget. Mustum vero malorum granatorum suorum tribuet, quia fortium virorum, qui unitatem Ecclesie etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponet, ut ad eorum similitudinem Synagoga inardescat, et Antichristi persecutionibus martyrum præcedentium exemplis roborata non succumbat. Cum enim fortium puguatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam subire non dubitabit. » Huc spectat versio Chaldee: « Ducam te, o Rex Messia, et introducam te in domum sanctuarii mei, et docebis me timere a facie Domini, et ambulare in viis ejus, et ibi prandebimus prandium, et bibemus vinum vetus quod reconditum est in urvis sua a die, quo creatum est sæculum, et de malis punicis, que præparata sunt justis in paradiso voluptatis. »

## TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo, Christum infantem pariens, duxit eum in domum matris sue, id est suam, in Nazareth, que ab angelis Lauretum translata, ubi hodie totius orbis concursu colitur. In ea ab eodem fuit edocta de mysterio passionis, crucis, resurrectionis, etc., et redemptionis hominum, deinde traducenda vita angelica, perfecta et di-

11

vina, idque magis exemplo quam verbo. Rursum ibi Christum jam grandescientem potavit vino condito et musto malogranatorum, tum literali, tum mystico, puta vino ardentis charitatis, ac musto compunctionis et lacrymarum.

Rursum et magis congrue ad litteram, R. Virgo apprehendit Christum, id est petit apprehendi a Christo (est hypallage), ac duci in domum matris, puta celestis Jerusalem, ibique ab eo doceri per visionem beatificam de tota sancta Deitate et Trinitate; atque ibi et vicissim obtulit vicium conditum exsultationis et gratiarum actionis, ac mustum æstuantis amoris et charitatis.

VERB. 3. LEVA EJUS SUB CAPITIS MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME.

Sponsa ex vehementia amoris et desiderii fruetur Christum in celo, quod expressit vers. 1 et 2, incidit in animi deliquium, somnum et exstasim; unde quasi collabens et corruens, invocat opem sponsi, ut leva caput, dextera corpus suffulciat, itaque in sinu ejus conquiescat, per quod ad litteram significatur Ecclesiam in fine mundi partim ex æstu amoris in Christum, partim ex multitudine persecutionum et tribulationum suspirantem ad celum, ut ibi sponsus Christus cum leva et dextera circumplectatur, sibi que facie ad faciem ardentissime uniat et adstringat; interim vero dum hæc unio differtur, rogatarum ut sponsus se leva et dextera sua protegat, roborat et deducat, ut moras ejus et persecutiones hostium fortiter perferat, donec aspiret dies beate æternitatis, et inclinentur umbre misere mortalitatis. Audi Honorium: « *Brui levan sponsi sub capite sponsæ, quia omnem gloriam mundi vidit sub potentia Christi, qui est caput ejus; et dextera ejus amplectabitur eam, quia angelica societas et sanctorum unanimitas, quæ in dextera Christi in judicio erit, illam sibi associabit; in hac dextera ab omni perturbatione requiescet, et nemo eam sine hac quiete excitabit, quia gaudium ejus nemo tollet ab ea.* » Porro goomen hanc audivimus cap. II, vers. 6, ubi eam explicui: quare hic oïra non addam, nisi quod ibi illa tribuatur sponsæ infantis, hic vero adultæ et perfectæ.

Denique Chaldeus judicæ hæc refert ad frontalia Judæorum: « Dixit, ait, cœtus Israel: Ego electa sum supra omnes populos, quia ego alligo frontalia manu sinistro meæ et capiti, charitativaque infixa est lateri dextero porte meæ, cuius lartia pars respicit thalamum meum, ut non habeant licentiam demones ad nocendum mihi. »

VOX SPONSI.

VERB. 4. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM, DONEC IPSA VELET.

ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, NE SUSCITETIS, NEQUE EVIGILARE FACIATIS DILECTAM (Hebræa et Sep-

tuaginta, *charitatem vel dilectionem*, id est, summe dilectam), DONEC IPSA VELET. — Sunt verba sponsi, qui videns sponsam in somnum et exstasim amoris incidisse, vetat ne quis eam ab ille, utopie suavissimo, piissimo, sibi que gratissimo excitet, sed placide in eo dormire sinat. Hanc goomen jam tertio audivimus, nam cap. II, vers. 7, tribuitur sponsæ infantis, et cap. III, vers. 5, sponsæ adolescenti; hic vero tribuitur sponsæ perfectæ et grandævæ: vide ibi dicta. Tertio eam repetit sponsus, ut ostendat quam sibi placeat sors Magdalene præ Marthæ, id est otium contemplationis præ negotio actionis.

Chaldeus judæans hæc refert ad Gog et Magog, qui representant Antichristum ejusque assecras: « Dixit, ait, rex Messias: Adjuro vos, popule mi domus Israel, quare contenditis contra populos terrarum, ut egrediamini ex captivitate, et quare vos vultis rebellare contra exercitum Gog et Magog? Sustinete modicum, donec consumantur populi, qui ascenderunt ad belligerandum contra Jerusalem, et postea recordabitur vobis dominator sæculi miseracionum jurtorum, et erit voluntas a facie ejus, ut liberet vos. »

VOX POPULI

OCCURRENTIS.

VERB. 5. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIAS AFFLUENS, INMIXTA SUPER DILECTUM SUUM?

Septuaginta et Arabicus pro מִדְבָּר *midbar*, id est deserto, legentes מִדְבָּר *midbar*, vertunt *desolata*: *bar* enim vel *barar* est *mundare, purificare, dealbare*, licet Complutensens in Septuaginta legant, de *crano*. Pro *deliciis affluens, inmixta*, hebræa est una vox מִתְרַפֶּקֶת *mitrappeket*, quam Vatabla, Pagninus et alii vertunt, *inmixta*; R. David, *adhærens*; R. Salomon et Aben-Ezra, *associata*; Septuaginta, *incomposita*, id est *suffulta, inmixta*; Philo, *confirmata in fratre suo*, id est que Christum habet quasi immobile sue speciei et decori firmamentum. Licet Origenes, hom. 1, versa a S. Hieronymo, et S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. VIII, legant *incomposita*, id est *super pectus ejus recubens*: sicut S. Joannes in sinu Jesu recubuit, ait S. Ambrosius. Ex quo nonnulli volunt sponsam hic visam in sinu sponsi dormientem, cum ille eam leva dextra que complecteretur, ut dixit vers. 3; sed repugnat vox *ascendit*: in sinu enim non *ascendit*, sed potius *portabatur* manibus sponsi. Rursum sponsam jam non dormivisse, sed expectantem ambulasse, patet ex eo quod ait illi sponsus versu sequenti: « Sub arbore malo suscitavi te, » etc.

Igitur sponsa, que prius dormierat in sinu sponsi, jam evigilans et exstas amoris animosior effecta, pulso omni pudoris et dictionum metu, brachiis strinxit oïllum vel potius humeros sponsi, itaque iis inmixta præ amoris delictis visa est

transentibus et occurrentibus ascendere de deserto, id est ex agro suburbano, versus Jerusalem; occurrentes autem viri eam videntes, admirati ejus specie, eque ac amorem et libertatem, exclamant: « *Quæ est ista,* » etc., id est « *quam beata, quæ ascerit, ait Honorius, de mundo ad celum? et angeli in consortium suum introducent, ubi deliciis paradisi affluet, quia bonis Domini gaudebit, cum ipsum Deum in quem angeli desiderant prospicere, facie ad faciem videbit, ubi concentum angelorum, et organa sanctorum audiet, et ipsum odorem suavitalis sentiet; ubi inebriabitur ab ubertate domus Domini, et satisfabitur, cum apparuerit gloria Dei. Ibi erit super dilectum suum inmixta, quia semper in gaudio Domini erit stabilita.* » Est ergo hæc vox non sodalium sponsi vel sponsæ, sed turbæ occurrentis.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Angeli et cœlites, videntes Ecclesiam in fine mundi, conversis jam Judæis et gentibus, suis omnibus sanctis et electis esse perfectam, ideoque ad celum contendere, ut militæ et victoria sue nanciscatur præmium et triumphum, ejus formam, robur et decus quasi admirantes exclamabant: Quæ est ista virago tot virginum, martyrum, confessorum, apostolorum, aliorumque heroum stemmatibus et trophæis insignita, quæ de deserto, id est inculo hujus mundi agro, imo vepre et senticeto scelerum, malorumque omnium, tam gloriosa in celum scandit, præ amoris tenerritudine ac deliciis inmixta super Christum dilectum suum? Ita Honorius, Cassiodorus, S. Gregorius, S. Ambrosius, in *Psalm. cxviii*, serm. 14, vers. 5. Hæc accedit Chaldeus: « Dixit, ait, Salomon propheta: Quando revivisceret mortui, fatum est ut scindatur mons Olivarum, et omnes mortui Israel egressuri ex eo, et etiam justi, qui mortui sunt in captivitate, venturi sunt per viam spinarum sub terra, et egredientur ex monte Olivarum. Futurum est autem ut impij, qui mortui sunt et sepulti sunt in terra Israel, dejiciantur super lapid, quem projecit homo super terram. Tunc dicent omnes habitatores terre: Quod est mirabile populi hujus, qui ascendit de terra in mille milibus, sicut in die quo ascendit de deserto in terram Israel, et deliciis affluunt propter miseraciones Domini sui; sicut in die qua visus est sub monte Sinai, ut susciperet legem? »

Te *inmixta super dilectum* significat Ecclesiam ascendere in celum viribus non suis, sed gratiæ Christi: « nemo enim ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, Filius hominis, qui est in celo, » et quem ille eorum in celum ducere dignatus sit, *Joan. cap. III, 13*: vide S. Augustinum in *Psalm. cii*, et lib. *De Grat. et Lib. arbit. cap. vi*:

unde Theodoretus notat sponsam a Septuaginta vocari *desolatam*, sponsum vero *conditam*, quis ipse natura est talis, sponsa vero prius erat denigrata et fuscata, eo quod illam sol aspexisset; jam vero a sponsa desolata est et candoris ejus particeps effecta, qui sicut lux existens ipsam lucidam et reddidit et appellavit, et sanctus existens, sanctam et fecit et nominavit; et eum sit resurrectio, resurrectione dignam esse voluit; sic et albedinem suam illi communicavit: hæc S. Augustinus; S. Ambrosius tamen serm. 14 in *Psalm. cxviii*, pro *desolata* legit *candida*, idque lib. IV *De Sacram. cap. II*, refert ad candorem baptismalem, quem admirantur angeli: porro candor hic et puritas conscientie exhibent anime delictis paradisi. Alludit ad ascensum Hebræorum ex deserto in terram promissam, duce Josue, ait Honorius.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cassiodorus, Beda, Anselmus et alii hæc accipiunt de ascensu, id est progressu anime, ut eam de virtute in virtutem: Anima fidelis, ait Honorius, de deserto ascendit, quam malam vitam deserit; et ad spirituales conversationem per gratias virtutum ascendit. Hæc *deliciis affluit, dum oculis Scripturarum se deliciosè pascit; super dilectum est inmixta*, quia amore soli Christo infixa. Tres Patres apud Theodoretum: Quænam est hæc, inquit, que tam perite docens, a rebus arcanis ad magis arcanas reconcilias que progreditur, ab omni peccatorum macula purgata? Eleganter Alanus: « Descendit, inquit, in desertum per nativitatem, ascendit per desertum progrediendo de virtute in virtutem; ascendit super desertum, omnem mandatorum continentem sublimitatem, ascendit de deserto in ceteram beatitudinem. »

Urget Rupertus de *inmixta super dilectum suum*: « Nimirum, inquit, ut non timeat timorem hominum, ut non deficiat in tribulationibus, que illam invenerunt, sive inventure sunt, atque persecutionibus inimicorum visibilium et invisibilium, paganorum, judæorum, hæreticorum et spirituum malignorum. Quomodo enim inter hæc omnia subsisteret, nisi inmixta esset super dilectum suum? Numquid inmixta deberet esse super semetipsam, aut super quælibet alium? tunc utique caderet, stare non posset. Nunc autem dicit, *Psalm. xxvi, 1*: Dominus illuminavit me, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vite meæ, a quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me prelium, in hoc ego sperabo. Hoc dicere et facere, nimirum est inmixtam esse super dilectum. » Hinc spei et amoris symbolum est hederæ, sic dicta ab hærendo. quod cum per se stare no-

queat, ligno se affligens ita adheret, ut divelli nequeat: sic anima sancta suis viribus diffidens, et tota Christo confidens, ita illi adheret, ut ab eo separari nequeat. Unde hoc est hederæ hujus lemma: « Nunquam divellar. » Exemplum est in S. Magdalena.

Vis ergo deliciis affluere? imitere tuo Jesu, qui est mel in ore, melos in aure, jubitus in corde, ait S. Bernardus, ipsiusque vitam sequere: de his deliciis vide Isaiam, cap. LXVI, vers. 11 et sequentibus. Audi S. Gregorium: « Sancta anima de deserto ascendit, quia in exsilio hujus peregrinationis posita, ad celestia gaudia mente et cogitationibus tendit; unde et Paulus dicebat: Nostra conversatio in caelis est, Philip. III, 20. Delicis affuit, quia S. Scripturæ meditationibus intendens, celestis pabulo assidue mentem pascit. Super ailectum immittitur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exsilio ad patriam transfertur. » Et S. Ambrosius in Psalm. cxviii, serm. 14, vers. 5: « Anima, ait, meritis ascendit absentibus, ex isto vita hujus, ut habent perique, deserto ad illum florentem semper locum jucunditatis æternæ: mirantur illæ virtutes, ex isto confragroso scopulosoque deserto, aliquam ascendero animam posse sine magnorum labe vitiorum, et ideo gratulantur reportam, quæ vestimenta innocentie naturalis non polluerit atramento insipientie secularis, sed magis sapientie spiritalis et gratiæ candore mundarit. » Mysticum desertum triplex, e quo ascendit anima, describit S. Bernardus in *Sermonibus*.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Honorius Ecclesiam et Judeis in fine mundi conversam, sic gloriam B. Virginis admirantem inducit: « *Que est ista*, id est quanta laude digna, quam virtuosa, *que ascendit de deserto*, Libano mundi, *delicis affluens* cœli, *inmixta super dilectum suum*, ab eo exaltata super choros angelorum? Plenius Halgrinus: « Ascendit, ait, B. Virgo per processum meritorum; ascendit per gradus dignitatum, quæ consurgens ut aurora, pulchra ut luna, electa ut sol; ascendit e vitæ presentis exsilio super choros angelorum assumpta. Ascendit autem de deserto, scilicet de mundo, quem suo deseruit, et tanquam desertum reputavit, quod ab ipso omnem suum averit affectum. Affluere autem dicitur gratiarum delictis et virtutum, inmixta super dilectum: nam ne perderet deliciis affluens, non suis meritis, sed ipsius innitebatur gratiæ, qui gratiam tribuit, et meritum præmium superaddit. » Porro S. Bernardus, serm. 4 In festo Assumpt. B. Virginis, hæc tribuit angelis admirantibus B. Virginis, cum a Christo in celum assummeretur, decorem et gloriam, ideoque exclamavisse: « *Que*

est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, inmixta super dilectum suum? »

## VOX SPONSI.

SUB ARBORE MALO SUSCITAVI TE: IBI CORRUPTA EST MATER TUA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TUA.

SUB ARBORE MALO SUSCITAVI TE: IBI CORRUPTA EST MATER TUA, IBI VIOLATA EST GENITRIX TUA. — Septuaginta, sub malo excuscitavi te; ibi cum dolore peperit te mater tua, ibi cum dolore peperit te, que genuit te; Syrus, ibi corrupta te mater tua, ibi violata te genitrix tua; Arabicus, dolores partus passa est in te; hebreum enim *כרם חבל*, et græcum *ἄδωρα*, ut vertunt Septuaginta, significat cum dolore parere et eniti; unde proprie veritas, ibi magno dolore parturit te mater tua. Ad hæc *chibbel* significat quoque corrumpere, dirumpere, ut vertit Noster.

Nonnulli censent hæc esse verba sponsæ de sponso, quia Rabbinus pro te et tua supponebat punctum *ך* *cha*, quod est masculinum, idque ne mater sponsi, id est Synagoga eorum, dicitur esse corrupta et violata, quod eis videtur esse probrum. Rabbinos sequuntur heretici et nonnulli catholici, ut Laysius Legionensis, Agathias, Nannius, Genebrardus; sed varie explicant.

Primo, bucolice, q. d. Ego sponsa sub arbore malo legens poma mea, specie, sedulitate et gratia excitavi sponsum ad mel amorem; sic pulchritudo et gratiosi dicuntur e floribus vel inter flores nati, turpes vero et rustici dicuntur *trunci*, et s trunci excisi. Sic pastor ille apud Virgilium, *Ecol.* VIII, Nisæ amore se captum sub arbore testatur dicens:

Sepibus in nostris parvam te rosida mala  
(Dux ego vester eram) vili cum matre legentem:  
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Hinc malus, sive pomus et poma symbola sunt amoris, juxta illud, cap. II, vers. 2: « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios hominum; » hinc et Aben-Ezra hic exponit, q. d. Ita *suaviter olis*, ac si inter poma genita et nata fores. Secundo, Tigurina vertit, sub arbore malo destruxi te, id est, quia ego Ecclesia malum sive pomum vitium in Eva matre comedi, causa fui cur tu, o Christe, in cruce destruereris et occidereris: nam Deus Pater voluit tua cruce expiare gulam meam. Tertio, Vatablus vertit, sub malo excitabo te, id est sub cruce, credendo te esse passum excitabo te frequentibus precibus, ut crux tua mihi sit veniæ, gratiæ et salutis: alii aliter.

Verum dico hæc esse verba sponsi, non sponsæ, ac proinde in Hebræo substituenda esse puncta, quæ significant pronominia feminina pro masculinis, ut pro *עורתיך orathich* legas *עורתיך orathich*, pro *אכר immecha*, *אכר immech*; pro *חבלתך chibbelatecha*, *חבלתך chibbelatech*, et ita de

cæteris, quæ sequuntur: nam verba hæc esse sponsi unanimi consensu docent S. Gregorius, Theodoretus, Cassiodorus, Philo, Aponius, Beda, Justus, Anselmus, Rupertus, Angelomus, Haymo, Alecuus, S. Thomas cæterique omnes Patres græci æque ac latini. Fingitur ergo hic sponsa sub malo legens poma a serpente admorsa, et periclitans de vita a sponso sanata, et ad vitam quasi suscitata: sic enim Christus Evam, ejusque filios, a serpente diabolo in pomo vetito admorsos et lethaliiter saucios, ad vitam per crucem revocavit.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Nonnulli sic exponunt, q. d. Sub arbore sciens boni et mali comedit Eva pomum vitium, æque se et suos posteros perdidit; verum ego Deus infligens illi in penam tot labores et ærumnas, ipsam denique mortem, eam ad penitentiam revocavi, et a concupiscentia gula ad charitatem meam suscitavi: verum Patres omnes per arborem malum accipiunt arborem crucis; malus enim Latinis quavis arborem, præsertim frugiferam, ut ficum, pyrum, prunum, cerasum, etc., significat; crux autem Christi nobis summe fuit frugifera. Addunt nonnulli crucem Christi factam ex arbore malo: imo S. Anselmus ex nonnullis Græcis tradit ex ramis, vel ex semine arboris vetique quippiam ex paradiso translatum fuisse in Judæam, ibique plantatum, atque ex eo succrevisse arborem, ex qua facta est crux Christi. Sed hoc incertum et apocryphum videtur. Illud certius quod idem addit, alludi hic ad arborem vitiam; huic enim antitype respondet arbor crucis Christi, sicut poena respondet culpæ, satisfactio crimini, pharmacum morbo, q. d. Sub arbore vitæ, o sponsa, corrueas per culpam; quare ergo sub arbore crucis illi vicina te expiavi et suscitavi: arbor enim crucis, obedientie et charitatis expiavit arborem voluptatis, inobedientie et cupiditatis. Porro in sponsæ hoc glorioso in cœlum ascensu et triumpho, sponsus mentionem injicit crucis, ut ostendat unde ei hæc gloria provenit, scilicet ex cruce, idque hoc fine, ut sponsa memor suæ vililitatis et lapsus, magis se humiliter, sponsumque revereat, ac in eis amoris magis accendatur, utpote cum ab eo in cruce a morte æterna recepta n et suscitata recordatur. Adde, innuit hic Salomon tanta tantæ profunda esse carnis et amoris Christi crucifixi mysteria, ut ea in hac vita ad fundum penetrare nequeamus, quantumvis de ea assidue meditetur et contemplerur; sed id reservari futuræ beatorum visioni in cœlo, qui in abyssu divinitatis videbunt abyssum charitatis et crucis, in eaque se demergent et submergent.

Sensus ergo est, q. d. O sponsa, o Ecclesia, in

hac tua gloria memor esto, quod ego moriens in ligno crucis te a morte suscitaverim, eo quod in ligno antistropho pomi vetiti per comestionem et inobedientiam a serpente corrupta sit mater tua Eva, quæ in te, dum te genuit, hoc peccatum originale quasi naturali propagine transmisit: Eva enim consentiendo serpenti, id est diabolo, ei quasi se violandam et corrumpendam prostituit; ibi quoque violata est genitrix tua Synagoga (hæc enim est mater Ecclesie, quia ex illa prodiit), dum me suum Messiam et regem, pontificem et legislatorem immani periculo et sacrilegio, imo deicidio crucifixit: « quando enim Salvatorem suum in ligno fixit, ibi nefando scelere se corrupit, » ait S. Gregorius. « Ipse ergo lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, » ut canit Ecclesia in hymno S. Crucis. Voluit enim Deus congruo suæ justitiæ et sapientiæ decreto, Christum non gladio, non igne, non alio tormento, quam ligno crucis occidi, ut commissum in ligno ab Adam et Eva peccatum ligno crucis expiaretur, ut diabolus, « qui in ligno vinebat, in ligno quoque vineceretur, » ut canit Ecclesia; « et unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. » Hæc de causa crux Christi apparebit in cœlo, cum Christus ad judicium veniet, *Matth.* xxiv, 30, ac, ut multi volunt, in cœlo perdurabit in æternum, ut beatos semper memores et gratos tanti benefici efficiat. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Justus, Anselmus, Rupertus.

Audi Guilielmum: « Nam mortua eras in neccalis, vel innatis vel additis, vivificavi te sub signo crucis. De corpore meo pendente in ligno, sanguis redemptionis quinque rivis stillavit super te, et ita sub arbore illa suscitavi te. Quid est sub arbore illa? suspicentem in arborem illam, suspicentem animum serpentem, id est credentem in Jesum Christum et hunc crucifixum. » Huc alludens Ezechiel, cap. xvi, vers. 5 et sequentibus, Synagoga suam priorem vililitatem et sordes, a quibus a Deo erecta, purgata, et in sponsum assumpta est, cogitandas objicit: « Non pepererit, inquit, super te oculus ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terre in abiectione anime tuæ in die qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculari in sanguine tuo, et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive, dixi, inquam, tibi: in sanguine tuo vivo. »

Porro quod Septuaginta, Arabicus et alii ex Hebræo vertunt, *ibi magno dolore vel cruciata parturit te mater tua*, apte Titelmannus sic exponit, q. d. In cruce Christi materna pietas et misericordia, quasi mater puerpera te parturit immenso cruciata; addidit posterius membrum veri posse, *ibi laboravit genitura tua, vel nutritus tua*, hoc est, ibi patuit quanto pretio constitit tua regeneratio, quanta difficultate peragi poterit tua a morte redemptionis, utpote que non nisi per mortem unigeniti Filii Dei poterit perfici; unde

S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii: « Illic, inquit, parturivit mater tua, etc., paritur autem in quibus Christi imago formatur; unde quoniam in sponsa formatus erat Christus, ait, *Cantic. VIII, 6* *Pone me ut signaculum super brachium tuum.* »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

*De Christo et anima sancta.*

Sub malo, id est sub cruce per ejus crebram editionem et contemplationem excitatur anima ad amorem et fervorem, ut adeo sui amantem redimet, ac amorem amoris, sanguinem sanguini, mortem mortem repandat, quia *ibi in dolore peperit, qua te concepit*, ut virtuti Septuaginta, d est caro Christi, ait Philo, in tormento crucis passa, sponsam sibi peperit sanguine redemptam, et aqua baptismi, quae de latere Christi fluxit, ablutam. « Inspice, ait S. Augustinus, lib. *De Virg.*, vulnera pendentes, sanguinem morientis, prolium redimentis, cicatrices resurgentis: caput habet inclinatum ad osculandum, cor aperit ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. haec quanta sint cogitate, haec in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figurat in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. »

Trita S. Gregorii sententia: « Nihil Deo grave est, quod non acquiescunt toleretur, si Christi passio ad memoriam reducat: parva enim toleramus, si recordemur quam dura verba, duriora verbera, durissima supplicia pro nobis ille passus sit, qui in capite tulit coronam, in oculis passus sit, in auribus convicia, in ore fel et acetum, in facie sputa et alapas, in genis vulsionem, in humeris crucem, in corde merorem, in visceribus concensionem, in corpore flagella, in membris extensionem, in manibus et pedibus perossionem; denique a capite ad pedum plantas usque, innumera sustinuit vulnera et dolores. » Adit Philo hujus mali arboris *fructum*, sive *pomum* esse Eucharistiam, in qua caro Christi in cruce amore nostri magis, quam dolore assu et testa, nobis manducanda exhibetur, ut nobis cum amorem, vitam et spiritum aspiet.

Rursus tres Anonymi apud Theodoretum aiunt animam concupiscentia infectam ex arbore vitia, cujus pomum comedit Eva, sanari arbore crucis, ex qua discit voluptatem vincere cruce et mortificatione: audi eos: « Sub rebus istis procedentis, quae suavis pomus instat sensus omnes oblectant, te (o anima) desidia ad bonum complectendum inertem, et rerum caducaerum studio consopitam excitavit, providentiae, iudicique sermonibus et rationibus impellens ad amorem et desiderium mei: illic enim in affectione rerum fluxarum concepit te prima mater tua Eva generans cum voluptate, et pariens cum dolore. Qui-

bus affectionibus rerum fragillium desiderio laborabas voluptatem sequens, doloremque fugiens, ad voluptatis finem ita contendens, ut a dolore velles separari, quod quidem fieri nullo modo potes. Proinde si cupis ab istis perturbationibus esse libera, » pone me ut signaculum, etc., quae sequuntur.

Anagogice Honorius: « Animam, inquit, sub arbore mali Christus suscitavit; quia post hanc vitam omne genus ad vitam per victoriam crucis vivificabit, quod per arborem transgressis omni mortem subit. Tunc Ecclesia recipietur in illa gloria, ubi corrupta est per superbiam mater ejus, scilicet dignitas angelica, et ubi genitrix ejus violata, videlicet numerositas electorum imminuta, quam ipsa redintegrabit, cum incorrupteliam possidebit, et numerum electorum implebit; tunc Christum ut signaculum ponet super cor suam, » etc.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

*De Christo et B. Virgine.*

Primo, sub malo, id est sub cruce suscitavit Christus Evam et Adamum (unde et Adam sepulchrum est in monte Calvarie, in quo crucifixus est Christus, ut, sanguine e Christo in Adamum sepultum stillante, ipse a morte resuscitaretur, ut passim docent Patres; sicut pellicanus fertur pullos suos exanimis sanguine e pectore suo elioio vivificare); et omnes eorum posteros, inter quos est B. Virgo; sed haec quia jam a Deo decreta erat mater Christi, hinc a lapsu et peccato originali a Deo fuit preservata; dicitur tamen hic suscitata lapsu et peccato, non quod actu incurreret, sed quod incurrere debuisset ex propagine communi Adae et Eve, nisi per speciale Dei privilegium fuisset exempta. Pulchris similitudinibus id explicat S. Augustinus in illud, *Psal. lxxxv, 13*: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. Prima est: « Quomodo, inquit, si medicus videat tibi imminet aegritudinem forte ex aliquo labore, et dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, tibi cibis utere, nam, si non feceris, aegrotabis; tu autem si feceris, et salvus eris; recte dicitis medicus: Liberasti me ab aegritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. *Secunda*: Nescio quis habens causam meo estam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. *Tertia*: Suspendendus erat debitor, solum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perire. » Secundo, Christus suscitavit sub cruce B. Virginem ad incrementum et fervorem charitatis, ut videns tantum Christi in se et in omnes homines amorem usque ad mortem, et mortem crucis, hoc exemplo vicissim incitare-

tur, et quasi incenderetur flammeo charitatis incendio, adeo ut optaret pro Christo et cum Christo crucifigi, ac ad omne genus tormentorum esse Deo in holocaustum et victimam pro peccato offerre pro salute hominum. *Tertio*, B. Virgo Christo crucifixo astans, cumque in holocaustum Deo offerens pro reconciliatione mundi, dicit Ecclesiae et anime sanctae: *Sub malo*, id est sub cruce per mortem filii mei, quem pro te Deo in sacrificium obtuli, suscitavi te a peccato, morte et inferno: idem facit quotidie, dum pro peccatoribus per crucem Filii Deum interpellat, eisque veniam, gratiam et salutem impetrat.

VERS. 6. PONE ME UT SIGNACULUM SUPER COR TUUM, UT SIGNACULUM SUPER BRACHIUM TUUM: QUIA FORITIS EST UT MORIS DILECTIO, DURA SICUT INFERNUS EREU-LATIO: LAMPADES EJUS LAMPADES IGNIS ATQUE FLAMMARUM.

PONE ME UT SIGNACULUM SUPER COR TUUM, UT SIGNACULUM SUPER BRACHIUM TUUM. — Chaldaeus, Arabicus, rabini et catholici, qui versum praecedentem censent esse vocem sponsae, hunc quoque eidem assignant quasi ipsa petat, ut sponsus cor suum et brachium jugi memoria, et amore sponsae tam miserae et peccato corruptae, velut signaculo obsignet; et sane possunt haec verba tribui sponsae, quia ipsa imitatur affectum sponsi, ad amorem se suumque amorem fingit: correlativus enim est affectus amorque sponsi et sponsae; hinc Chaldaeus vertit, *dicitur filii Israel in die illa Domino suo: Obsecro te, pone nos sicut sculpturam oculi super brachium tuum, ut non addamus ultra esse erevites*. Denique textus hebraeus significat esse verba sponsae, non sponsi: habet enim masculinam *שֵׁנוּנוּ* *simenu*, id est *pone me*, o vir, o sponsa. Si enim essent verba sponsi, dicendum fuisset femininum *שֵׁנוּנוּ* *simenu*, id est *pone me*, o femina, o sponsa; nisi dicitur *simenu* esse infinitivum, qui ponatur pro imperativo: infinitivus enim tam est femininus, quam masculinus, ita aliqui: nam haec esse verba sponsi ad sponsam colligi videtur ex dictis versu praecedenti. Pendet igitur haec gnomo a praecedenti velut effectus a causa, et gratiarum actio a beneficio, *g. d.* Quia ego sponsa te, o sponsa, sub malo pomi veliti a matre tua Eva comesti, lethaliter sanciam a plaga et morte, per malum et lignum crucis meae suscitavi; hinc tu vicissim tanti beneficii memor, « pone me ut signaculum super cor tuum. » Prior sensus planus est; secundus obscurior magisque moralis, hinc eum prosequar: nam Patres assentiunt haec esse verba sponsi, non sponsae.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

*De Christo et Ecclesia.*

Sponsus, ut magis sponsam incitaret ad jugem sui amorem, reverentiam et gratiarum actionem

versu praecedenti iniecit mentionem crucis et mortis pro sponsa Ecclesia obite; unde hic jure suo poscit, ut se crucemque suam jugiter gerat in corde et mente, ac in brachio et operatione, eoque quasi signaculo cor et brachium obsignet. Pro signaculo, hebraice est *חֹתָם* *chotam*, quod proprie sigillum et annulum signatorum, quo litterae aliaeque res obsignantur et sigillantur, significat: radix enim *חֹתָם* *chotam* significat occidere, obsignare, sigillo confirmare.

Primo ergo signaculum hic significat sigillum, quasi dicat sponsus. Me meique memoria et amore sigilla, o sponsa, cor tuum et brachium tuum, ut jugem mei formam et speciem, velut imaginem in mente et actione tua ex me expressam et impressam conserves: ita Cassiodorus, Beda, Justus et alii; unde Gallianus: « *Pone me ut signaculum*, hoc est, inquit, imprime mihi inus, me jugiter cogitando; imprime mihi fors, propter me strenue operando, ut pia cordis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet. » Rursum, *g. d.* Ita meos mores et vitam cordi et brachio tuo imprime, ut eorum similitudinem in te, id est in cogitationibus et actionibus tuis exprimas, ut qui te christianum viderit, Christum se videre putet, sicut qui videt imaginem in cera impressam, sigillum ipsum et exemplar videre se restimal, idque tam in agendo, quam in patiendo, juxta illud Pauli, *II Corinth. iv, 18*: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris; » ita S. Anselmus et S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii, ac Theodoretus: « Vult, ait, Salvator ut eum pro signaculo in contemplationibus et in actionibus nostris habeamus, et notam ipsius tum dictis, tum factis imprimamus: sic enim erunt ut numismata regina, non adulterina, sed regiam imaginem profereant: » sic et tres Anonymi. Audi S. Ambrosium: « Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, ut semper confitemur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis; ut, si fieri potest, tota ejus species exprimat in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus; ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem; ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem; ipse dextera, per quam Deo patri sacrificium nostrum offeramus: ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis et claritatis insignia, qua diligens Pater signavit Filium, sicut legitimus, *Joan. vi, 27*: *Quem Pater signavit Deus.* » Secundo, signaculum imed est quod signa et signum quale herus imprimit suis servis, militibus, ovibus, bobus et rebus, ut ex eis liquet illas res esse ipsius: sic, *Apocalyp. vii, 2*, omnes electi signantur signo crucis. Christus ergo hic sponsae imprimit suum stigma crucis, ut ex eo

liqueat eam esse servam Christi crucifixi; sicut Antichristus suam notam et characterem suis sequacibus in manu vel fronte imprimet, *Apocal. xiii, 16* : si id Aponius. Huc accedit Anselmus : « Pone me, inquit, regentem cor tuum et cogitationes tuas, ut pateat amicis te continere mea secreta, et inimicis item pateat ab eis secreta, quae habes, esse clausa, habeasque me ut rectorem in omnibus operibus tuis. »

*Tertio*, signaculum idem est quod claustrum sigillo obsegnatum, quo res pretiosas vel charas ita claudimus, ut ab aliorum contactu semote heri duntaxat voluntati, cuique serviant : sic sponsa quasi hortus conclusus, et fons signatus, ut dixi cap. iv, vers. 12, uni servatur sponso, ut ille solus ea fruatur, nec quis alius vel hilum ex ea delibet, sed ipsa totum suum cor, id est omnes suas operationes dedat et consecret Christo sponso suo; unde Rupertus sic explicat : « Pone me ut signaculum super cor tuum, etc. Id est, confidat in me cor tuum; roboretur ex adjutorio meo brachium tuum, » sicut imperiale signum contra Iudeos, paganos et haereticos. Hac de causa sponsus dare solet anulum sponse, tum ut signum fidei, amoris et fiducia; tum ut eo res domesticae obsegnat : audi Clementem Alexandrinum, III *Pedagog.* II : « Dat ei anulum aureum, nec eum quidem adornatum, sed ut ea obsegnet, quae domi digna sunt, quae custodiantur, propterea quod servandae domus ad eam cura pertinet; » et post pauca : « Atque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes eis domus custodiam permittant, utque eis opitulatrices date sunt. » Porro sponsa Ecclesia hic in caelum scandens jubetur merito obsegnari sigillo sponsi, ut in caelesti ejus thalamo velut res pretiosa, et ad ejus solius usum servanda recondatur; unde S. Hieronymus, *epist. 22 ad Eustochium de Custod. Virg.* : « Quotiescumque, ait, te vana saeculi delectaverit ambitio : Quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mentis transgredere : esse incipe quod futura es, et audies a sponso tuo, *Cantic. viii, 6* : Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo; et corpore pariter ac mente munita clamabis, et dices, *ibid. vers. 7* : *Aqua multa non poterunt extinguere charitatem, et fumina non operient eam.* »

*Quarto*, signaculum potest sumi pro imagine signata, *q. d.* Gestis, o sponsa, mei, qui tuus sum sponsus, imaginem expressam in bulla aurea, quam super pectus tuum portas, et in armilla qua brachium ornas, ut jugiter mei recorderis, nec aliud cogites, ames aut agas, quam de me aut propter me; unde Honorius, *Christum, ait, ponit super cor suum ut signaculum sponsa, quia ejus doctrinam et vitam in corde ita gerit, quasi presentem semper videat: sic Cicero, De Finibus, docet Epicuri discipulos et amicos ejus effugium in annulis gestasse: idem fecere alii aliorum amantes.*

Ex adverso de Jechonia ait Deus, *Jerem. xxii, 24* : « Vivo ego, dicit Dominus : quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. » Atque hinc Ecclesiae damna omnia nascuntur, quod scilicet multi non Christum, sed mundum, mundique idolum ponant signaculum cordis sui; quod scilicet ambiant mundanos honores, opes, delicias, non Christi amorem et gloriam. Audi Hugonem cardinalem haec et plura complectentem : « Pone me ut signaculum, etc., *q. d.* Volo ut mei pro te crucifixi memoriam habeas, ut per te nihil nocivum intret, aut exeat (nam quae abscondita esse volumus, etiam sigillo munimus), ut mihi soli arcum cordis aperias; ut speciei meae in te se militudo resulet; ut mei character amoris te alio alieno discernat; ut in castro tuo meum semper vexillum appareat; » et post nonnulla : « Monile pectoris est signaculum cordis, ne affectio indigna subrepat; armilla brachii signaculum fortitudinis in exteriori operatione, ut etiam in corpore nostro stigmata Domini nostri Jesu Christi circumferamus. » Denique S. Ambrosius, *lib. De Isaac et Anima, cap. viii* : « *Sigillum, ait, Christus in fronte est, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur, ut, si fieri potest, tota ejus species exprimitur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus, » Joan. vi, 27, etc. item in *Psalm. cxviii, serm. 15*, ad illa vers. 130 : « *Conspice clavem a timore tuo curvas meas: Fide, ait, cordi tuo hoc signaculum crucifixi; infige et brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt, quia valida est ut mors dilectio : durus sicut inferi zelus, Cantic. viii, 6. Hic clavem charitatis configatur anima nostra et caro nostra, ut et ipsa dicat : Vulnerata charitate ego sum.* » Porro hanc Christi imaginem in corde imprimi sigillo charitatis docet Guilielmus, dum ait : « Imprime mihi quasi signaculo, per amorem mihi fortiter adherendo, ut a me quasi signaculo formam accipias, ut mea subtili expressione similitudinem trahas : quanta fuerit impressio amoris, tanta erit expressio similitudinis; quanto mihi fortius per amorem inhereris, tanto mihi similior eris. Quanto te mihi presseris fortius, tanto ego Christus in te formabor expressus, et tanto tu in me reformaberis transformaberis et insignis. » Et inferius : « Charitas homine mundo conformem transformat, quia ut signaculum, sic et formam mutat, » ut qui erat mundanus, fiat deificus et divinus.*

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Christus crucifixus jubet anime plures, ut sui et filii jugiter in corde et brachio. Id est in mente

et operatione gestat, ut nihil non videat, cogitet, amet, operetur quam Christum crucifixum; sed a mente et affectu omnes alias personas et res quantumvis pretiosas excludat, ac tacite eidem spondet, si id faciat, se vicissim illius memoria et amore obsegnatum cor suum, aequae ac brachium, ut assidue de ea cogitet eamque curet, dirigat, propugnet, prosperet : Ita tres Anonymi apud Theodoretum. Sic Deus ait Zorobabeli, qui fuit typus Christi : « Assumam te, Zorobabel filii Salathiel, serve meus, dicit Dominus : et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum, » *Agg. ii, 24*, ubi multa haec de re dixi. Sic Christo obsegnatus erat S. Paulus, cum diceret, *Galat. vi, 17* : « De cetero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto; » et S. Franciscus eadem corpori suo impressa a Christo accepit; et S. Clara de Montefalco in Italia, cordi suo impressa Christi crucem, clavos, flagella et spineam coronam, etiamnum tot annis post mortem spectantibus exhibet, idque refert Bozius, *lib. I De Signis Eccles. cap. xviii* : Ita S. Agnes sponsa Christi de sponso suo abbat : « Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inestimabiles margaritas : posuit signum in faciem meam, ut nullum praeter eum amatorem admittam, » uti ex S. Ambrosio de ea canit Ecclesia, *Porro fidelis ita sit signaculum et sigillum Christi, ut ejus ideam, et mores alii instar sigilli imprimere satagat, uti faciebat Paulus dicens, I Corinth. xv, 47* : « Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis caelestis, tales et caelestis. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis; » et *ibidem, cap. vi, vers. 20* : « Empli enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro; » et *Rom. xv, 14* : « Indulmini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideris; » et *Galat. iv, 19* : « Filii mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. » Audi S. Gregorium : « In corde sunt cogitationes et in brachio operationes. Super cor ergo et super brachium sponse dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab ea diligitur, et voluntate et actione designatur. Signum quippe sancta mens interior et exterior Christum portat, quia dum in ejus meditatione assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis abbat, *Joan. xiii, 35* : *In hoc cognoscent omnes, quia vere me discipuli estis, et dilectionem habueritis ad invicem. De qua dilectione mox subditur, Cantic. viii, 7* : *Quia fortis est ut mors dilectio, » etc.*

Exemplum memorabile est in S. Gertrude, quae b. II Revel. cap. vi, narrat Christum Dominum in specie pueri elegantissimi sibi apparuisse, ac lapsam in animum suam, eam quasi in se trans-

formasse, eique dixisse : « Sicut ego sum figura substantiae Patris in deitate, sic tu eris figura substantiae meae in humanitate, quia recipiet in anima quasi deifica dona tibi missa a mea divinitate, eo modo quo aere recipiet claritatem solis, ut hoc radio penetrata intus usque ad medullas, apta habilisque fias ad familiarem unionem mecum ineamdam. » Et cap. vii et seq. 1. « Cum, inquit, in festo Purificationis recepissem sacram synaxim, mente intenta in Deum et in meipsam, percepi et sensi animam meam instar cere igno divino liquefactam, talemque effectam ex sigillatione pectoris Christi; ex eo enim impressos accipi thesauros gratiarum, in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter; atque exinde extitit nobiliter signata character splendentis et semper tranquilla Trinitatis, ut deinceps tota mentis aviditate anhelaarem ad summum bonum in seipso, quod es tu, Domine, in veritate tue aeternitatis, quae est abyssus charitatis, ex qua immensos amoris, omnisque gratiae et virtutis gurgites haurire licet. » Et lib. I, cap. iv : « Christus cuidam ostendit monile quoddam splendendum et mire ornatum, quod gestabat cordi suo impositum : monile hoc erat triangulum instar trifolii; additque : « In signum amoris, quo sponsam meam Gertrudem prosequor, continuo hoc monile gestabo. » Et lib. V, cap. iii : imminente morte S. Gertrudis, Christus eam mellifluis hoc promisso consolatus est : « Ecce nunc tandem per meum oculos efficacissima suavitate plenum te mihi acquiram, perque artissimos divini mei cordis amplexus offeram te meo Patri caelesti, » *q. d.* Hucusque te in terra detinere permisi majoris tui meriti ergo : at nunc cum fervor delicati amoris non ferat ultiores absentiae tuae moras, solvam et eximam te velut desideratum mihi thesaurum vinculo carnis, sistamque te tuo Creatori, ut deinceps refrigerem in te magnitudinem mei ardentissimi amoris, secundum dulcissimas deliciarum mearum delectationes. Porro revelationes S. Gertrudis, aequae ac Brigittae, Martini Delrio agens de prophetia in *Magie*, alique multi viri docti et critici, qui initio revelationum S. Brigittae citantur, laudant et venerantur ut probas et pias, esto multa continentia symbolica; ideoque symbolice interpretanda : sunt enim a matronis eximie sanctae dictata, quare dicere eas esse confictas, magne foret temeritatis et impudentiae. Non tamen assererem omnia, quae in illis scribuntur, proprie dictas esse revelationes Deique oracula, praesertim quia ipsi propheta subinde falluntur, putantque se spiritu Dei agi, cum spiritu proprio, licet pio, aguntur, nisi contigit Nathan propheta, *II Reg. cap. vii, vers. 3 et vers. 4*. Hac de causa subinde revelationes haece cito, sed parce et cum grando salis, ubi res exigit.

Anagogice Honorius haec accipit de Ecclesia in oculis triumphante : « Tunc, ait, Christum u isig-

*signaculum super cor ponet*, quia ipsum, qui est imago Dei, in seipsa, ut imaginem in cera expressam videbit: *super brachium ut signaculum ponet*, quia ipsum pro labore operum mercedem accipiet. Ibi fortis est ut mors dilectio, quia sicut mors omnes reprobos trahit ad interitum, ita dilectio Dei omnes electos trahet ad gaudium. *Dura est ibi sicut infernus emulatio*, quia sicut infernus omnes sequaces diaboli, sic cœlum omnes Dei imitatores Christi recipiet. Ibi omnes electi lampades charitatis erunt, quando, accensis lampadibus, obviam sponso et sponsæ ibunt, qui semper in amore Dei, ut ignis ardebunt: quia in regno Patris sui, ut sol fulgebunt. » Hic sensus non tam analogicus videtur, quam litteralis: agitur enim hic de Ecclesia et anima in celos ascendente, ut superius dixi; beati enim in celo Christum ut signaculum gestabant in corde et brachio, jubilantes cum eo per omnem eternitatem.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo Christum posuit ut signaculum super cor suum, non tantum ethice per amorem plusquam maternum, sed etiam physice, cum eum concepit, novem mensibus in utero portavit, alio, genuit; *super brachium vero*, cum eum jam natum in ulnis et brachiis gestavit, quare non imago vel similitudo Christi, sed ipsissimus Christus ei fuit signaculum cordis et brachii. Audi Alanum: « Virgo Maria Christum posuit super cor suum, ut signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est, ejusdem gratia consignata. Hoc autem fuit incognitum diabolo, et cognitum angelo: *super brachium tuum*, id est in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor virginis et super brachium dilectus ponitur ut signaculum, quia in cogitationibus, que notantur per cor, et in actionibus, que per brachium, virgo filium imitatur. »

QUIA FORTIS EST UT MORS DILECTIO, DURA SICUT INFERNUS EMULATIO.

Pro fortis, Symmachus vertit, *inexpugnabilis*; pro emulatio, hebraice est תַּנְּוּף *kina*; Septuaginta *ζῆλος*; id est zelus, *zelotypia*, qua sponsus adeo ardentem amat sponsam, ut se pro ea periculis, duellis, mortisque ipsi objiciat: ut nullum patiator rivalem, sed solus sponsa potiri velit: ac si quis eam sibi eripere velit, acciter in eum insurgat, ledat et occidat; unde Syrus et Arabice vertunt, *crudelis sicut infernus zelotypia*. Sunt verba sponsi, ut patet ex præcedentibus; minus recte Chaldaeus zelum refert ad hostes et persecutores: « Quoniam, inquit, fortis est ut mors dilectio deditis tue, et robustus sicut gebenna zelus populorum, qui zelant nos. »

Videtur prima fronte absorta et horrida com-

paratio dilectionis cum morte et inferno; sed hoc loco est consona et commoda, quia amor sponsi per crucem liberavit sponsam a morte et inferno, cui ob peccatum addicta erat. Simili modo Apostolus, *Rom. x, 13*, polentior docet esse gratiam Christi, quam fuerit peccatum Adæ, quod mortem in orbem totum inveniit, quia gratia Christi utrumque destruxit. Amor igitur et fortitudo amoris Christi est clausula et finis Cantici; unde Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, finita expositione Cantici ægotans, identidem repetens hæc verba: « Fortis est ut mors dilectio, » amori huic et hisce verbis immortalis est, uti initio in interpretibus dixi.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

To quia dat causam præcedentium, cur sponsus sub malo crucis suscitavit sponsam, ideoque ab ea poseat, ut se ponat signaculum super cor et brachium: causa enim fuit amor verus et merus, q. d. Ideo ego Christus pro te, o Ecclesia, a morte suscitanda, cruci et morti me exposui, quia te ut sponsam puro meroque amore et zelo adamavi. Amor enim fortis est ut mors, zelus durus est sicut infernus, primo, quia sicut mors omnia domat, sibi que subjicit, ut nullum vivens ejus vim et imperium effugere queat; et sicut infernus ante Christum omnes morientium animas absorbēbat, nec ulla ejus manus evadere poterat, quia in eum descenderet: sic pariter amor Christi vincit omnia flagella, clavos, spinas, crucem, dolores, probra, famem, sitim, nuditatem, omniaque dura et adversa, que fortiter perpassus est, ut Ecclesiam sponsam suam a morte redimeret. Sicut ergo morti et inferno nihil resistit, sic et amori Christi forti et duro omnia cesserunt et succubuerunt. Addunt Cassiodorus et Beda: Sicut infernus nescit misereri, et a penis mitigari, sic Christus nequit desistere ab amandis hominibus ob quantumlibet graves eorum improbitates. Secundo, amor Christi fuit fortis sicut mors et infernus, quia amor eum cogit mori et descendere in infernum; sed amor Christi fuit fortior morti et inferno, quia animas Patrum morti et inferno eripuit, illasque ex eo liberavit, juxta illud, *Os. xiii, 14*: « Ero mors tua, o mors; mors tuus ero, inferne: » ita S. Ambrosius, lib. De Isaac, cap. viii, Cassiodorus Philo, Justus, Beda et Gregorius. Amor ergo tam fortis est, ut vincat Deum, eumque in carnem et crucem quasi charitatis victimam deduxerit: quare sicut Jacob prævalens angelo Dei vicario in lucta, ab eo vocatus est Israel, id est dominans Deo, sine nullo magis amor nuncupari potest Israel, quia « unus de Deo triumphat amor. » Tertio, quia amor facit ut amans, si res amata ledatur, vel ei eripiat, summe angatur et crucietur, ac videatur subire

ipsam mortis et inferni agoniam, juxta illud, *Psal. xvii, 5 et cxix, 3*: « Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me. » Quarto, quia Christus omnes hereticos et impios, qui sponsam suam Ecclesiam violare vel maculare contendunt, adigit in mortem et infernum, sicut maritus occidit adulterum, juxta illud, *Proverb. vi, 34*: « Zelus et furor viri non pariet in die vindicte, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. » Hunc zelum habebat Moyses, cum 23 millia Israelitarum adorantium vitulum aureum occidit, *Exod. xxxii, 34*.

Porro Christus ut sponsus eximium suum hunc in sponsam Ecclesiam amorem illi proponit, ut vicissim similem ab ea exigat, q. d. Dixi: Pone, o sponsa, me ut signaculum super cor tuum, signaculum, inquam, amoris, quod alias res omnes a corde tuo fortiter excludat: quia sicut meus in te amor fuit fortis ut mors, et zelus durus sicut infernus, sic volo pariter ut tuus sit: amor enim vult redamari; sicut ergo ego te amo ardentissima charitate, sic volo ut eadem tu me ames, nec alium amatorem admittas: amor enim meus est zelus, quo tibi nihil est vehementius, sic nihil est ad offensiones etiam leves magis irribile, irritas autem gignit dolores et iras gravissimas, adeo ut pro illis mors et infernus parvi facienda sint, ait Luysius: quare volo ut amor tuus sit fortis et durus sicut mors et infernus, ut fuit meus, ut scilicet instar inferni nulli rei vel adversitati cedat, sed omnia domet sibi que subjiciat, adeoque ipsam mortem et infernum superet, sibi que substerat; unde Rupertus paucis sic explicuit: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus emulatio, q. d. Zelum magnum habet emulatio; » et Guillelmus: « Postquam dixit, Cantic. vii, 7: Pone me ut signaculum super brachium tuum, id est, ad expressionem meam in te similitudinis fortiter mihi per amorem adhære, sic subjungit: Quia fortis est ut mors dilectio, etc., q. d. Nihil impossibile moneo, quia sola ad hoc charitas sufficit, que nimirum instar mortis animam a corpore extorquens hominem ab amore mundi fortiter abstrahit, et informandum illum mihi ut signaculum imprimat, et pro accepta a me forma tam robustum in eo zelum excitat, ut nullis illecebrarum blanditiis, nullis adversitatibus violentiis cedat. » Minus genuine S. Gregorius per emulationem accipit invidiam Indæorum in Christum: Dura, inquit, ut infernus est emulatio, dura existit, quia sicut infernus sine misericordia, quos tenet, cruciat, sic judæica plebs Christum apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trahabat; » et Aponius, qui accipit emulationem hereticorum: Hæc enim, inquit, dura est sicut infernus, quia superbe emulando Ecclesiam atque catholicos, per omnia æquatur diabolo, qui inferni vocabulo nuncupatur, quod instar inferni, neque precibus neque

lacrymis potest mollescere, et ita est durus, ut nequeat a sua duritie molli.

Mystice, S. Anselmus per mortem accipit diabolum mortis auctorem, q. d. Sicut diabolus invincibiliter damnationem confert, sic dilectio Dei salvationem.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima amore Christi saucia, quod in se sentit hoc dicit, scilicet: « Fortis est ut mors dilectio dura sicut infernus emulatio, » primo, quia arduus inducit mortem: facit enim eam mori omnibus cupiditatibus et rebus temporalibus, ut uni Christi vivat: ita Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Anselmus et S. Gregorius non audi: « Quod mori agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis: sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum, ut omnia visibilia negligunt; et dum in æterna mente tenent, ad omnia temporalia pene insensibiles fiunt. In his nimirum ut mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio et naturali appetitu interficat, sic dilectio in talibus vis omnia terrena desideria continentem mentem alias intentam compellit. Hujusmodi mortuus et vivis dicebat Apostolus, *Coloss. iii, 3*: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Et S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, serm. 15, vers. 8: « Valida est ut mors charitas: charitas enim culpam et omnia peccata mortificat: charitas sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus, charitas Dei verbum est, quod est validum et acutius quidem gladio acutissimo, usque ad divisionem quidem anime ac spiritus, artusque et intima penetrans medullarum. » Fortis ergo ut mors dilectio, quia sicut mors nunquam frangitur, nunquam quiescit, donec omnium mortalium vitas sibi subegerit, sic et dilectio non cessat, donec omnes passiones et vitas sibi subjugarit: nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 4 ad Phil.: « Adeo violentus est amor, atque ut illa dicam, tyrannicus, ut nulli cedat occasione, sed continenter inhaereat amandis animo, neque committat ut ulla afflictio aut ullus dolor superet animum, » nec ulli sumptui aut labori pareat.

Secundo, quia amor facit animam piam optare s mortem pro Christo, ut optarunt martyres: ita Beda, Philo, et S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, serm. 19, et Theodoretus. Sic S. Agatha lætissima et gloriantur ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata agonem suum Domino commendabat. Sancti item Marcus et Marcellianus, quorum anniversaria dies 18 junii recolitur, eum essent ad stipitem alligati, pedibus clavis confixis: « Nunquam, inquit, tam jucunde epulati su-



mus, quam hæc liberator Jesu Christi causa perferimus, ut cujus amore nunc fixi esse cepimus; utinam tandem nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus, » uti habet eorum Vita, et Acta S. Sebastiani. S. Eulalia virgo et martyr, cum unguibus lacerebatur, exultabat: « Hi, inquit, sunt characteres, quibus in carne mea et magis in corde meo inscribitur et imprimitur Christus. » unde Prudentius, hymno 3, *super regavi*, asser. Nam dixisse:

Scriberis ecce mihi, Domine:  
Quam jurat hos apices legere,  
Qui tua, Christe, trophæa notant!

quocirca igne circumdata, flammam ore avido hauriens, martyr in cœlum specie columbæ evolavit; unde de ea canit Prudentius:

Virgo citam cupiens obitum,  
Appellat, et bibit nec regnum.  
Emitat inde columba repens,  
Martyris os nive candidior  
Vires relinquere, et astra sequi:  
Spectulos hic erat Eulaliæ,  
Lactuosus, ceter, innocuus.

Et de S. Laurentio in craticula assato ait S. Leo, serm. 1 de eo: « Flammi sævæ crudelitatis superari charitatis Christi flamma non potuit: Segnior fuit ignis, qui foris ussi, quam qui intus accendit. » Et S. Gregorius, homil. 3 in *Evang.*, « Quis de S. Felicitate septem martyrum matre: « Neque, ait, filios quos carnem suam esse noverat, sine dolore poterat morientes videre, sed erat vis amoris interioris, qui dolorem vinceret carnis. »

Tertio, quia sicut morti et inferno nihil resistit, sic nec charitati; sicut ergo mortem impedire nemo potest, quin veniat et mortificet, sic nec charitatem quin salvet, ait Anselmus. Rursum sicut infernus, ait Cassiodorus, quos semel receperit nunquam dimittit, sic et solida dilectio et zelus animam quam possidet, non deserit; unde Paulus, *Rom. vii*, 35: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: estimati sumus sicut oves occisioni.) Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum (nec cœlum, nec infernus, nec superi, nec inferi), neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, qui est in Christo Jesu Domino nostro. » Has tres causas affert S. Augustinus, *epist. 39 ad S. Hieronymum*: « Merito, ait, charitas dicta est sicut mors, sive quia nemo eam vincit, sicut mortem; sive quia in hac vita est usque ad mortem mensura charitatis, sicut Dominus ait, *Joan. xv*, 13: *Majorem hæc*

charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; sive potius, quia sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus. »

Quarto, sicut infernus suis, quos sinu suo continet, non parit, sic nec vere amans parit suis opibus, filiis, et sibi ipsi: ita S. Ambrosius, *serm. 45 in Psalm. cxviii*. Denique charitas compulsi multos sanctorum optare sibi mortem et infernum, ut ex eo animas liberaret: ita S. Paulus, *Rom. ix*, 1 et 2, optat anathema Christo fieri pro Judeis; et Moses deleri de libro vite, *Exod. xxxii*, 32. Sancta Christina mirabilis subibat penas inferni, puta purgatorii, ut animas ex eo eriperet, quare in aquis gelidas, in rotas, in furibiles ardeatas sese injiciebat et exercebat, ut refert cardinalis Vitriaco in *ejus Vita*, et ex eo S. Surtius. S. Agnes ex charitate prefecit Rome filium a morte et inferno suscitavit: idem fecerit alii; imo multi censent sanctum Gregorium liberasse animam Trajani imperatoris ex inferno. S. Catharina Senensis oplabat corpore suo obstruere os inferni, ne qua anima amplius in illum ingredi posset. Noster Alphonsus Rodriguez Majoricensis, ex incensa charitate offerabat se Deo victimam, ad patiendum omnia tormenta inferni per totam æternitatem, pro salvanda anima eusejuncumque Æthiops, Indi, aut barbari: quæ meruit videre in extasi omnes viros et feminas totius mundi, ac audire, quod tam ardentissimo desiderio tantum meruisset, quantum et totam illam multitudinem convertisset. B. Jacopinus tempore Bonifacii VIII pontificis, magnus sui mundique contemptor et Dei amator, ex nobili advocato factus minorita, et quidem laicus, desiderabat subire omnes omnium damnatorum penas, si Deo placeret, ut eos iis liberaret, omnesque salvaret, ita ut ipse omnium esset mihi in cœlo, nec quisquam ipsorum illi pro tanto beneficio gratias ageret: ita habet *ejus Vita* in Italia celebris.

Porro Christus charitatem, quæ fortis sit ad mors et infernus, exigit ab anima, non tantum ad se, sed et ad alios salvandos, *q. d.* Sicut ego tui, o anima mihi desponsa, amore moriens mortem et infernum vici, leque inde liberavi, sic peritior efficit et tu, ut tuo amori in me et fides meos nec mors, nec infernus prevaleat, vel prædam tibi eripiat; sed tu potius utramque vincas, et animas velut spoliis e faucibus eorum extorques.

Hinc S. Anselmus: Dura, ait, est sicut infernus emulatio, quia sicut infernus est insaturabilis; unde illud:

Inferus instabiabiliter cava guttura pandit;

indeque infernus hebraice vocatur *שְׁחַל* *schol*, id est *postulans*, quod semper animas postulat, non unquam impletur dicatque: « Sufficit, » *Prov. verb. xxx*, 10: sic pariter charitas est insatur-

bilis: nam quæ magis diligit Christum, eo amplius et anctius diligere cupit, ac cum multis ei animas lucratur, eo plures et plures lucrari saggit. Rursum sicut mors et infernus tabescere faciunt corpus et animam, sic et zelus sanctorum, cum vident Deum dilectum suum ab impiis offendi et violari. Testis est David *Psalm. cxviii*, 139: « Tabescere me fecit zelus meus, quia obliiti sunt verba tua inimici mei, » et rursum, *vers. 158*: « Vidi prævaricantes, et tabescebam; » et Elias, *III Reg. xix*, 10: « Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel. » Testis, nostra etate, B. P. N. Ignatius, qui dicebat non tam horrere se gehennæ tormenta, quam blasphemias, quæ a damnatis inter tormentorum aculeos in Deum jactabantur: ita Sanchez. Unde R. Solomon, Agathius, et Sotomajor sic exponunt, *q. d.* Emulatio et zelus animarum urit æque ac ignis, flammæque infernales. Porro S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Apollonius, et Chaldecus per emulationem accipiunt invidiam, censentque eam hic opponi dilectioni et charitati, quod charitas fortis sit ut mors, invidiæ vero dura et crudelis ut infernus: ipsa enim est vitium, æque ac tormentum universale et diaboli, quod per multas antitheses pulchre representat noster Hieronymus Prado in *Ezech. cap. vii*, *vers. 2*. Eas hic subijcio:

DILECTIO.	EMULATIO.
Fortis ut mors, quia viros interimit.	Dura sicut infernus, quia infernus cruciat.
Et lux in perimendo, ne torquet.	Segnis in cruciando, ne perimit.
Si occidit, occidit semel.	De penis innocentium ridet.
Poenam ingemunt.	Cruciat ignobiliter.
Gloria est amare.	Ignominia est non reclamari.
Labores consummat.	Dolores geminat.
Aferunt donat animam.	Utramque eripit amanti.
Est interior corporis, vita [animæ].	Est corporis, et animi cruciatus.
Facit victoriam.	Spolia detrahunt.
Vivam occidit.	Sævum in mortuum.
Justi perimit.	Inique saciat.
Est levis aureum.	Est cruciatus igneus.
Quis quem trajicit.	Spoliat quem urit.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Omnia jam dicta præ omnibus competunt Beate Virgini, præsertim quod ipsa ex forti amore Dei, pro hominum salute seipsam et Christum suum in crucem mori deoverit, et in victimam piacularem obtulerit. Rursum, quod ipsa ex amore Christi sibi mortua erat, et uni vivebat Christo; unde et a theologis censetur, quod non morbo, sed amore, puta ex continuo et ardenti desiderio facundi Christo et Deo examinata, et mortua fuerit: tanta enim fuit conjunctio et unio B. Virginis cum Christo, ut ipsa revelaverit S. Brigitte, lib. I

*Revel. cap. xxxv*: « Cum, inquit, nasceretur (Christus) ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur et exiret ex me; et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur: sicut enim illud quod dimidium est extra, et dimidium intra, si illud pungitur quod est extra, æque sentit dolorem quod intus est, sic ego, cum flagellaretur et pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur et pungebatur. »

LAMPADES EJUS (dilectionis vel potius emulationis zeli) LAMPADES IGNIS ATQUE FLAMMARUM. — Lampades proprie dictas, quæ infuso oleo lucent, hic accipiunt Cassiodorus, Anselmus et alii, per easque accipiunt sanctorum corda, in quibus quasi in vasis dilectio habitat, esseque ignis, quia intus ardent per amorem, et *flammarum*, quia exterioris lucent per operationem. Justus Orgellianus vero ait castos esse lampades, id est vasa charitatis, dielique ignis et *flammarum*, quia semper sunt splendida, et Spiritus Sancti ignis ferventia. Verum lampas hic et alibi sæpe idem est, quod tæda, titio, carbo, fax ardens, ut patet, *Judit. 7*, 16: nam pro *lampadis* hebraice est, *רֵשֶׁפְתִים* *resophim*, quæ vox significat omne id, quod volando adurit, incendit et inflammat; aludid enim per metathesin ad *serophim*, id est *ardentes, incendentes*: unde significat *ignem et fulgorem*, quæ ipstar volucrum celerissime discurrunt et adurant, ut patet *Psalm. lxxvii*, 48: *Item fossos et sagittas ignitus*, quæ volant per aera et domos urbesque incendunt, ut patet *Psalm. lxxvii*, 4. Ex hebraeo ergo ad verbum hoc loco sic vertit Hortolanus, *carbones vel fauces ignis carbonis ignis, qui a flamma Dei, q. d.* Faeces et carbones charitatis et zeli similes sunt faucibus ignitis et flammis ardentissimis et maximis: quæ enim Dei sunt, sunt summa et maxima: sic vocantur *montes Dei et cœli Dei*, id est *altissimi et maximi*. Hinc *resophim* hoc loco Septuaginta vertunt *ἐπιπέταστα*, id est *volatilia*, id est *volantia jacula*, vel *ala in circuitu, q. d.* Charitas circumdatur circumcirca alis igneis, vel sagittis alatis et ignitis; hinc Christus crucifixus quasi seraph alatus apparetur S. Francisco, eidem quinquæ vulnerum suorum, quasi quinquæ incendi charitatis stigma hæressit. Symmachus vertit, *impetus eius impetus ignis*; Syrus, *radix ejus*; Arabicus, *extensio alarum ejus sicut alarum ignis*; Pagninus, *præna ejus, præna flamma ignita ardentissima*; sexta editio, *scintilla ejus scintilla ignis*, alii, *præna scintillantes*, scintillæ enim volant, et volando ea, quæ contingunt, adurant. De alis hisce charitatis ita scribit S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii: « Bona charitas habens alas ignis ardeat, quæ volitat per pectora et corda sanctorum, et exurit quidquid materiale atque terrenum est; quidquid vero sincerum est, probat, et quod conflagrat, suo igne meliorat. Hunc ignem in terras misit Jesus, et refulsit fides, accensa devotio, illuminata est charitas, justitia resplenduit. Hoc igne

flammavit corda apostolorum suorum sicut testatur Cleophas, *Luc. xiv, 33*: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas? Alia igitur ignis in flamma, Scripture sunt divina.*

Charitas ergo et zelus Christi ac ejus asselarum, est instar ignis flammarum, *primò*, quia illarum adinstar nunquam quiescit, sed semper ardet, lambit, adurit et incendit omnia; unde ipse ait, *Luc. xii, 49*: *« Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Secundo*, quia sicut ignis eruat corpus, sic zelus animum, presertim, si videat sponsum ab alio amari, vel alium ac se amare. *Tertio*, sicut pulvis tormentarius motibus domibusque subjectus, si incendatur, vi ignis disjicit, imò in altum ejaculatur domos et moenia horrendo impetu et fragore: sic et zelus omnes obices, quantumvis magnos disjicit et dispellit. Exstat emblemata Alciati, in quo amor curru insidet, quem trahunt quatuor leones; et alterum, in quo Cupido pingitur cum alis, arcum et sagittis; deplunt e celo circumcirca igneae sagitte, sed fracte, quo significatur amorem vincere Deum et totum orbem incendere; unde lemma:

Aligerum fulmen fregit deus abiger igne,  
Dum demonstrat, ut est; fortior ignis amor.

Christus ergo quot pro nobis labores exantlavit, quot adversa quoque, quot flagella, vibices et dolores pro nobis pertulit, tot sagittis amoris ardentibus cor nostrum confixit tantum enim fuit Christi amoris incendium, talibusque flammis alii SERAPHINI NOSTRA in cruce passus, totusque accensus supervolavit, ut nihil non vicerit; nam et mortem fortiter pertulit, ut eam moriendo superaret, et infernum quantumvis durissimum fregit, ut quos dure strictos tenebat, duritæ ac potenter eriperet. Hinc de cherubinis Christi stiptatoribus ait Ezechiel, cap. 1, vers. 13: *« Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum; »* et vers. 12: *« Ubi erat impetus spiritus, illos gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. »* Hinc et Christus in Pentecoste misit Spiritum Sanctum specie linguarum ignearum, ut illi apostoli totum orbem succenderent, *Act. ii, 3*; unde Apollonius hic lampades accipiens flammam Spiritus Sancti: *« Vt accitas, ait, verbi Dei, et flammarum illuminationis mentium illuxit de lampade Spiritus Sancti. »* Clarus S. Anselmus: *« Ardore, inquit, sunt dilectionis Spiritus Sancti, qui est ignis, sunt que rates, ut etiam luceant, quia eos qui diligunt lucere faciunt, ut verbo et exemplo illuminent; sed magis ut accendant, qualis præ omnibus fuit B. Virgo; »* unde S. Cyrillus, hom. *Contra Nestorianum*, eam vocat *lampadem inextinguibilem*.

Sic S. Paulus adeo charitate erat referens et circumvallatus, ut ipsa charitas esse videretur; ideo ignis charitatis alii quasi fulgur orbem pervolavit et incendit. Idem hoc sæculo in Europa

et India fecere S. Franciscus Xaverius, Gaspar Barzeus alique viri apostolici, et etiamnum faciunt. Audi S. Chrysostomum, hom. 2 in *Acta*, Paulum angelis conferentem, imò præferentem: *« Nam et tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeos labores omnes periculaque contempsit; et quasi jam celum possidens cuncta prorsus terrena desepxit; et tanquam cum ipsis jam incorporeis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit: et angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa est, sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernavit, ut Paulus universum gubernavit orbem. »* El mox: *« Michaeli gens una commissa est Judeorum, Paulo vero terræ ac mariæ atque universi orbis habitatio. »* El hom. 3: *« Cum vero celsus in omnium præceptorum arte virtutum, omnem tamen flammam præcipue charitatis ardore vincebat: ut enim missum in ignem ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imò cunctos non carnales tantummodo, verum etiam spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat, et pecunias, et verba, et corpus, et animam pro his, quos diligebat, impendens. »* El hom. 16 in *Epist. ad Romanos*, explicans illud cap. ix: *« Optabant anathema esse: »* « Etenim, inquit, omni pelaga laqueo, omni flamma vehementior ardet hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate detrahit oratio; sed ille solus eam noverit, qui quis eadem exacte præditus fuerit. »

Audi Laurentium Justinianum, lib. *De Caste concubio verbi et anima*, in fine: *« Ignitus amor semper meditatior nova, et insueta componit: Impatiens namque cum sit, cogitare non desinit quomodo ardentius diligat, diligatur dulcius, fortius tenat, familiaris conversetur. Nihil secum amari vult, solus cordis concupiscit possidere principatum; Hinc zelotypia, hinc querimonia, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum, et absentie intolerantia. Nec a clamore vox, nec gemitus a corde, nec ab inquisitione sollicitudo, nec ab iustis concupiscit desiderii ardor, nisi per presentium dilecti: qui namque ferventius diligit, fatigatur vehementius, quamvis ipsum amoris immensitas non permittat considerare laborem. »* Deinde hujus amoris mira gaudia et fructus recenset: *« Ex lege igitur amoris sancti conubii quanta sint gaudia, quantaque flagrantis charitatis comprobati potest. Ex eadem quoque sponsæ excellentia atque illius donorum sublimitas, deliciarum opulentia, lassido cordis, mentis magnanimitas, suavitas spiritus, amoris confidentia, devotionis delectatio, veritatis scientia, conscientie puritas, virtutum perfectio, charitatis vinculum exultationis tripudium, jubilatiois gaudium, desiderium æstus, pacis abundantia, contemplationis gustus, rectitudinis constantia, morum pro-*

bitas, sapientia fecunditas, luminis delectatio, humilitatis exercitatio, compassio fraternæ dilectionis, innocentiæ candidatio, munditiæ decor, iudicantis sanctitatis, divine magnitudinis laudatio, et verbo sufficienter agnoscitur ipsis inhæsi solutio. »

Porro Chaldeus, S. Gregorius, et alii qui *amulationem* in malam partem accipiunt pro invidia et odio, eidem lampades, id est prunas et faeces hæc assignant; unde Chaldeus vertit, et *inimicitia, quam reservat nobis, similis est prunis gehennæ, quæ creavit Deus, ut succendantur in eo cultores idolorum*. S. Gregorius, de invidia Judeorum in Christum sic explicat: *« Lampades ejus lampades ignis atque flammarum: sicut enim ignis, quæ incendit, consumit, sic Judeos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit, de quibus bene alibi dicitur: El nunc ignis adversarios consumit, ac si diceretur: Antequam ad æternum ignem venissent, in presenti consumuntur, quia in se ipsi ignem invidiæ portant, qui sine portantis combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammam protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in gentilibus usque ad christianorum martyria, per mundum universum exerevit: sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur: Aquæ multe non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. »*

Analogue, beati in celo erunt quasi lampades ignis atque flammarum, quia fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, ut ait Christus, et eque ardeant. Erit ibi plenum charitatis incendium, quo Christus ut sponsus et sponsa Ecclesia, puta omnes electi, se invicem ardentissime diligunt in omnem æternitatem. Unde Arabicus ad hunc versum nervose addit, *« nec est mensura incensitæ amoris. »* Hic sensus non tam analogicus, quam literalis est, agit enim hic de sponsa suspirante ad eum, ubi erit nuptiarum spiritualium, eque ac charitatis consummatio: quare hic æstus amoris reciprocos, qui hic describitur, nunquam alibi proprie et plene invenietur quam in celo; unde S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. viii, pro *lampades ignis*, legens ex Septuaginta, *ala ignis*, *« Hic alis, inquit, evolavit Enoch raptus ad celum: hic alis evolavit Elias cursu igneo, et equis igneis ad superna translatus: hic alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem: hic alis habuit Seraphim, quando sumpsit carbonem ignis de altari, et tetigit os prophetae, et iniquitates ejus abstulit, et peccata purgavit. »*

**VERS. 7. AQUÆ MULTE NON POTERUNT EXTINGUERE CHARITATEM, NEC FLUMINA ORBENT ILLAM: SI ERIT HOMO OMNEM SUBSTANTIAM DORUS SUE PRO DIRECTIONE, QUASI NIHIL DESPICET EAM.**

AQUÆ MULTE NON POTERUNT (ita Romana; nonnulli legunt poterunt, sic enim habent Hebræa; Syrus vero et Arabicus, possunt, quia Hebræi per

unum tempus, puta futurum, retinere quo, scilicet præteritum et presens significant; unde Noster mox vertit in futuro *obruent*: significat enim hic constantia et vis charitatis Christi et Ecclesie, quam nulla adversa extinguere poterunt, possunt aut poterant EXTINGUERE CHARITATEM, NEC FLUMINA ORBENT ILLA: SI DEBERIT HOMO OMNEM SUBSTANTIAM (Septuaginta, omnem vitam, id est omnem victum, quo sustentatur vita) DORUS SUE PRO DIRECTIONE (Septuaginta, in dilectione), QUASI NIHIL DESPICET EAM, — non charitatem, sed substantiam, ut patet ex Hebræo; Septuaginta, contempnitatem contemnit eam, scilicet pro, id est victum, licet rabini referant ad hominem; unde Vatablus vertit, *si quis det omnes opes domus suæ pro amore, omnes omne maxime contemnit*; tanquam iniquum et ridiculum emptorem, ut ipse qui charitatem rem pretiosissimam vilissimis opibus emere velit, q. d. Charitas superat omne pretium, omne aurum, omnes opes et res pretiosas. Ita Theodoretus et cæteri. Symmachus, pro *charitate spreto spernetur*.

Pro *obruent illam*, hebraice est *יִשְׁטַף יִשְׁטַף יִשְׁטַף* *istephaha*, id est inundabit, et magna aquarum abundantia eque ac impetu submergent, obruentque eam; Pagninus, *profundabant eam*; Arabicus, et *flumina non possunt abluere vestigia ejus: si homo commutaverit omnem ætatem suam pro amore, non deturbit illum, scilicet amorem, vel honorem*. Chaldeus more suo referens hæc ad Judeos sic vertit: *« Dixit Dominator sæculi populo suo domui Israel: Quamvis congregentur omnes populi, qui comparati sunt aquis maris que sunt multe, non poterunt extinguere miserationes meas a te; et si congregati fuerint omnes reges terræ, qui comparati sunt aquis fluminis, quod defluit cum impetu, non poterunt evellere te a sæculo: et si dederit vir omnem pecuniam domus suæ, ut possideat sapientiam in captivitate, ego reddam ei duplicem in sæculo venturo, et omnis præda, quam deprædabitur de castris Gog, ipseus erit. »*

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Adeo fortis fuit amor et zelus Christi erga sponsam Ecclesiam, quam sub arbore malo, id est sub cruce suscitavit, ut nulla aquæ, torrentes vel flumina persecutionum, tormentorum, dolorum, ærummarum, contradiccionum, ingratitude, contemptuum, blasphemiarum, perfidorum Judeorum, vel gentium, poterint eum extinguere, vel sopire, quin pro illis ipsis maximos labores predicando exantlaret, et dolores subiret, ac tandem vitam in cruce atrocissima profunderet, etiamsi in cruce ab eis rideretur et blasphemaretur, omnique infamia et dedecore velut latro afficeretur; imò potius hisce aquis,